

ANDRELINO (Fausto)

AMORES SIVE LIVIA (2654 vers)

AD CHRISTIANISSIMUM INVICTISSIMUMQUE FRANCORUM REGEM LUDOVICUM DUODECIMUM  
CARMEN

v.1 Scilicet haec tenui modulata poemata cantu  
 2 non sunt a tanto principe digna legi.  
 3 Ut tua contingunt summum fastigia caelum,  
 4 classica sic grandi pulsa Marone petunt.  
 5 Post tamen argutos strepitans placet anser olores,  
 6 grataque post altas stridet avena tubas,  
 7 et lyra delectat trunco formata saligno,  
 8 aptaque cenosis rana coaxat aquis,  
 9 rauca nec intenso spreta est ardore cicada :  
 10 saepe movent magnum thura minuta Jovem.

## LIBER PRIMUS

A1\_1 v.1 Horrida grandisonis alter canat arma cothurnis,  
 2 anxia quae Gallo Roma sub hoste tulit,  
 3 vel canat Othrysis madefactos sanguine campos,  
 4 sparsa vel Emathio membra cruenta solo,  
 5 mutua fraternae referat seu vulnera dextrae,  
 6 Troica seu Danaa regna subacta manu.  
 7 Ista decent clarum sublimia gesta poetam,  
 8 inclyta cui magnum Musa ministrat opus.  
 9 Dum puer audaci nimium petit ardua cursu,  
 10 Icarus in vitreas praecipitatur aquas.  
 11 Cum regeret Phaeton vetitos temerarius axes,  
 12 decidit a summo lapsus ad ima polo.  
 13 Sic ego proruptos tentem si verrere fluctus,  
 14 Nostra sub ingenti pondere cymba ruet.  
 15 Non mihi sunt valido firmatae robore vires,  
 16 nec mea scit vastas findere puppis aquas ;  
 17 proxima vix intrat tangentes littora fluctus,  
 18 discat ut ignotas per freta summa vias.

19       Pristina materni linguens vestigia nidi,  
 20            non facit aerium protinus ales iter.  
 21       Illa sed in ramis volitans assuescit opacis ;  
 22            inde secat posito quemque timore locum.  
 23       Omnia qui recto metitur pondera sensu,  
 24            non timet eventus fata sinistra sui.  
 25       Ipse canam viridi cithara levioere sub aevo,  
 26            ut grave flagranti pectore vulnus alam,  
 27       ut fera dent misero tetricae mihi fila sorores,  
 28            quantaque mutata gaudia sorte feram.  
 29       Scilicet insano dulces in amore dolores  
 30            inque hilari tristis pectore cura viget.  
 31       Hoc bene conveniens humili modulamen avenae ;  
 32            pondera sunt humeris ista ferenda meis.  
 33       Prima Cupidineis aetas manet apta triumphis :  
 34            non gaudet veteri sanguine mollis amor.  
 35       At, si fata sinent, veniet cum senior aetas  
 36            plenaque Castalio pocula fonte bibam,  
 37       non nisi magnanimo deductos sanguine reges  
 38            promptior ingenti spiritus ore canet.  
 39       Tu quoque magna feres vigilati dona laboris  
 40            cumque tuo, princeps, vate superstes eris.  
 41       Et mea quae cinxit viridanti tempora lauro,  
 42            Martia divinum Roma videbit opus.  
 43       Optima non metuunt rodentes carmina blattas,  
 44            missa nec irato tela trisulca Jove,  
 45       nec spatiosa timent cariosi tempora saeculi,  
 46            illa licet rabido gutture cuncta vorent.  
 47       Liberamajori dabimus cum carbasa vento,  
 48            amplaque non humili meta teretur equo,  
 49       attollam excelso tumefactas vertice cristas ;  
 50            sera licet veniat gloria, grata tamen.  
 51       Nec minus ipsa suo sese jactabit alumno  
 52            notior ingenio Livica terra meo.  
 53       Gaudet et ut magno tellus Andina Marone,  
 54            sic novus Aemilio splendor in orbe ferar.  
 55       Nuper ut oppositis adversum umbonibus agmen  
 56            rejiciam intrepida fortior ipse manu.  
 57       Ante triumphales, populo plaudente, quadrigas  
 58            livida cum rabido pectora dente traham.  
 59       Ingenua supplex venia donabitur hostis :  
 60            quae datur ex victo, gloria sola juvat.  
 61       Tam bona speramus venturae insignia palmae :  
 62            noscit ab ingenio quisque futura suo.  
 63       Inclyta sed valeant tantae praeconia famae :  
 64            in mea nunc facilis vota puella sat est.

A1\_2    v.1    Heu mea quam saevis carpuntur viscera flammis,  
           2            intima furtivus quam premit ossa vapor !  
           3        Torrida Sicaniis veluti calet Aetna cavernis,  
           4            sic mea ferventi corda furore calent.  
           5        Non mihi Vesviacis rupti fornacibus ignes,  
           6            nec gravis Icarei sideris ardor obest ;  
           7        non Phaethontei, passa est quos terra, calores,

8           sicca nec exusto caumata facta polo.  
 9       Tanta cruentato pariunt incendia vati  
 10           semper in exitium lumina visa meum.  
 11       Ut liquefacta cremant rapidae cito sulphura flammae,  
 12           sic mea sunt subita membra cremata face.  
 13       Saucia tam celeri stupuerunt pectora telo,  
 14           morsa repentino ceu stupet agna lupo,  
 15       tenderet aut vitrei gelidas cum fontis ad undas,  
 16           intempestivo cervae fugata cane,  
 17       aut streperet fragili cum lentus harundine pastor,  
 18           quem ferit ignota missa sagitta manu ;  
 19       risit inassueto strictas fervore medullas  
 20           et puer illato vulnere laetus abit  
 21       qualis, in Aemathiis prostrato montibus angue,  
 22           Cynthius inflata mente superbus abit ;  
 23       qualis abit victor caesa Tirynthius hydra,  
 24           qualis et Eoo Bacchus ab orbe redit.  
 25       At rudis insolitum veluti fert taurus aratrum,  
 26           ecce novo ferimus colla subacta jugo,  
 27       utque ferox validis sonipes retinetur habenis,  
 28           qui modo pugnaci fronte timendus erat,  
 29       arta catenato cohibent sic vincula nodo.  
 30           Heu male mutata jura paterna vice !  
 31       Nulla queat tantos solvisse potentia nexus :  
 32           tam mea sunt forti pectora vincta manu.  
 33       Prima rudem nitidis juvenem si flexit ocellis  
 34           Livia, nil mirum est : mollis et aptus eram.  
 35       Ut liquida in varias formatur caera figuras,  
 36           sic capiunt quemvis membra tenella modum.  
 37       Si semel hanc videat, totum qui concutit orbem,  
 38           protinus, ut visa Gorgone, marmor erit.  
 39       Haec rigidum traheret, ceu vis Magnesia, ferrum.  
 40           Haec daret indomitas sub sua jura feras.  
 41       Ureret haec Orcum, terram, mare, sidera, caelum :  
 42           tanta sub ardenti lumine flamma micat.  
 43       Haec utinam aeternos facies paritura dolores  
 44           esset adhuc oculis conspicienda meis !  
 45       Impia non facerem toti convicia caelo,  
 46           cum videam duros in mea vota deos.  
 47       Squalida non miseros macies obduceret artus,  
 48           nec lentos caperent ora coacta cibos ;  
 49       tracta nec exirent imo suspiria corde,  
 50           dum queror ad surdas, nocte silente, fores ;  
 51       ipsa nec incautum tacito me luderet astu  
 52           jam totiens pactae conscia noctis anus  
 53       publica nec fierem mordentis fabula vulgi,  
 54           dum vagus incerti turbinis instar agor ;  
 55       nec premeret dubius suspectum terror amantem  
 56           ne sit in externo Livia nixa sinu.  
 57       Vivat amica licet Dictynna castior ipsa,  
 58           nulla tamen vario forma timore caret.  
 59       At postquam infixum est natali sidus ab hora,  
 60           ut nostrum aeterno ferveat igne jecur,  
 61       fortiter ipse feram scopulo patientior illo,  
 62           sedula quem vasti percutit unda maris.  
 63       Forsitan haec nullo patientia victa labore

64 mansueta versos sentiet aure deos.  
 65 Quae fuit asperior rabidoque ferocior urso,  
 66 Parrhasis est multa flexa puella prece.  
 67 Praestitit ipsa suo duram se Lesbia vati,  
 68 atque insperanti facta benigna viro est.  
 69 Mallet et in teneris cecidisse Propertius annis  
 70 quam sua femineo colla dedisse jugo,  
 71 tanta sed optata suscepit gaudia nocte,  
 72 nullus ut in tota laetior urbe foret.  
 73 Difficilis miserum Nemesis torquebat amantem,  
 74 ad duram insomnem passa jacere domum.  
 75 Gramina Phasiacis decocta bibisset ahenis  
 76 ipsaque Circaea structa venena manu,  
 77 et lectam Haemoniis hausisset collibus herbam  
 78 et gravidum indomitae quod parit inguen equae,  
 79 ferrea si solos Nemesis vertisset ocellos,  
 80 ferrea sed, quamvis ferrea, versa tamen.  
 81 O quotiens Naso lacrimis suffusus abortis  
 82 "Pande fores", dixit, "pande, Corinna, fores".  
 83 At rapienda dabat celeri sua verba procellae,  
 84 et vano ingratas sparserat ore preces.  
 85 Longa tamen rigidum domuit constantia pectus,  
 86 et modo jam pulsus saepe receptus erat.  
 87 Non amet aut discat duros tolerare labores,  
 88 optati compos qui velit esse sui.

A1\_3 v.1 Quis furor, o demens ? Quae tanta superbia formae ?  
 2 Quid nimio audaci fronte decore tumes ?  
 3 Non secus incluso taurinus flamine follis  
 4 et gravis extenso femina ventre tumet.  
 5 Non pila, non alio plena est vesica tumore,  
 6 quam jacit assueta turba jocosa manu.  
 7 Puniet ipsa tuos ultrix Rhamnusia fastus,  
 8 ut sit delicto congrua poena suo.  
 9 Hancne putas viridi mansuram in corpore dotem,  
 10 nec caritura suis levia membra bonis ?  
 11 Falleris : ista fugit numquam reditura juvenus,  
 12 et quaecumque brevi tempore forma perit,  
 13 utque levis tenues vanescit fumus in auras,  
 14 sparsaque ceu modico rore favilla cadit.  
 15 Florida vernanti laetatur terra colore ;  
 16 sicca sub aestivo mox jacet illa Cane.  
 17 Invida praecipiti labuntur tempora cursu,  
 18 labitur ut volucris pulsa carina Noto.  
 19 Hinc tacitum festinat iter cum morte profunda  
 20 non intellecto curva senecta gradu.  
 21 Hinc Genium fragili succensum flore piabant,  
 22 ut memor exigui temporis ille foret.  
 23 Ut corrupta fluunt cunctarum semina rerum,  
 24 omnia sic illis quattuor orta fluunt.  
 25 At tu, si parili mecum certabis amore,  
 26 vives post nullos interitura dies.  
 27 Edita sint tenui quamvis mea carmina rivo,  
 28 magnus et in parva piscis abundat aqua.

29 Sunt data pro minimis grandissima praemia gemmis :  
 30 quaelibet est proprio res satis ampla bono.  
 31 Si vaga contemnis victurae murmura famae,  
 32 ipsa cades brutas inter habenda feras.  
 33 Scilicet humano quivis de sanguine cretus  
 34 gaudet ab aeterna posteritate legi.  
 35 Testis adhuc superest fausti memorator Achillis,  
 36 quod bene Maeonio carmine notus erat,  
 37 crebraque cum largo fudit suspiria fletu,  
 38 Quod non, heu, tanto dictus ab ore foret.  
 39 Aurea neglecto mavis si praemia versu,  
 40 irrita pro stabili munera laude petis.  
 41 Cetera vanescunt dubiae ludibria sortis,  
 42 sola sed aeternum carmina nomen habent.  
 43 Quid Nova Carthago, clarae quid Pergama Trojae,  
 44 ipsa quid, ablato carmine, Roma foret ?  
 45 Hoc Libycos orbis, hoc Inda monilia vincit,  
 46 cedit et huic aurum, Parthica terra, tuum.  
 47 Felix, quae fuerit sacro celebrata poetae,  
 48 cujus honorato carmine nasus inest !  
 49 Non bene quisque dato celeri pede currere signo  
 50 missus ab Eleo carcere novit equus.  
 51 Alter erit, fateor, Narcisso pulchrior ipso,  
 52 tanta sed in nullo vivet amante fides.  
 53 Ipsa juvat potius fidei constantia purae,  
 54 quam mala quae ficto corpore forma viret.  
 55 Si Gnosis fidum sortita fuisset amantem,  
 56 non flesset rabidis sola relicta feris ;  
 57 icta nec arsisset letali vulnere Dido,  
 58 nec foret infanda Phyllis adempta nece.  
 59 Forsitan exili natum de semine vatem  
 60 despicias, illustri conspicienda domo.  
 61 Si mea non rutilant antiquis atria ceris,  
 62 ipse nec insigni stemmate clarus eo,  
 63 alta tamen nostrae dedimus primordia genti,  
 64 sumque meae primus nobilitatis honor.  
 65 Scilicet est aliquid propriam sibi quaerere laudem  
 66 atque suo ex humili surgere Marte loco.  
 67 Quem relevat virtus multo sudata labore,  
 68 nobilior Paulis ille duobus erit.  
 69 Heu, quotiens, cernes sparsos cum vertice canos  
 70 factaque sublato crispa colore, gemes !  
 71 Heu, quotiens referes, tensus ad sidera palmis :  
 72 "Me miseram, qualis Faustus amator erat !  
 73 Ast ego sum numquam juvenem miserata querentem,  
 74 nostraque nescio quo lapsa juvenia modo est !  
 75 O utinam expertis cantatae viribus herbae  
 76 demeret annosum saga perita situm,  
 77 dempsit ut effeti rugosos Aesonis artus,  
 78 quae male fraterno tincta cruore fuit !  
 79 Non ego fraudarem geniali dote juventam,  
 80 nec sinerem cassos stulta perire dies.  
 81 O nimium cauto sapiens in pectore sensus,  
 82 qui sciat oblata commoditate frui ! "  
 83 Haec et plura tuis interpellata querelis  
 84 sub bibulo sterilis condet arena loco.

85 In sua jam carpas abeuntes semina fructus :  
86 tota datur merito vita fruenda suo.

A1\_4 v.1 O penitus nostris facies infixi medullis !  
2 O desiderii maxima cura mei !  
3 Cur sinis ut tanto feriam mea pectora planctu,  
4 maestaque continuis fletibus ora rigem ?  
5 Hos ego si totiens fudissem ad marmora luctus,  
6 mota forent lacrimis marmora dura meis.  
7 Vota, preces, tormenta, dolor, suspiria, questus,  
8 et data sunt celeri verba ferenda Noto.  
9 Ferrea montano circumdata viscera saxo  
10 et rigida fultum Gorgone pectus habes.  
11 Immiti rabidae possunt tibi cedere tigres  
12 ortaue silvestri torva leaena jugo.  
13 Usibus assiduis longum terit omnia tempus,  
14 at tua flat nullo molliter aura die.  
15 Excute tam duro clausas sub pectore cautes  
16 et non humanae rustica corda ferae.  
17 Ut periit primus tauri fabricator aheni,  
18 sic fera supplicio digna puella suo est.  
19 Mollia conveniunt tenerae praecordia formae,  
20 nec tumidus roseo fastus in ore decet.  
21 Quaelibet ingenuo pietas in corpore regnat ;  
22 saevities diris convenit ipsa feris.  
23 Displicet et nulla placabilis arte puella ;  
24 mitia cum facili pectora mente placent.  
25 Iasis abjicitur surda truculentior unda ;  
26 laudatur cupido blanda Lacaena Pari.  
27 Ipsa dedit tenerae specimen natura puellae,  
28 ne desit numeris illa vel illa suis.  
29 Etsi nostra cavo contusa est marmore lympa,  
30 haec erit obsequiis vita dicata tuis.  
31 Rebus in angustis verus spectatur amator :  
32 certus amor nulla sorte perire potest.  
33 Sic docet in Danaum juvenis Phoeceus Orestem,  
34 et rea quos Phrygii sanguinis hasta tolit,  
35 sic fera quos Siculi religarunt claustra tyranni,  
36 et qui fraterna morte redemptus obit.  
37 Sed manet inprudens duri sectator amoris :  
38 non facit ad talem finis honesta virum.  
39 Ille, licet Croesus, misero fit vilior Iro,  
40 sentit et aeternam fama sinistra notam.  
41 Si saperem, crudas odissem jure puellas :  
42 spernere quae vellem, tela coactus amo.  
43 Displicet et sumpta est aegro medicina jacenti,  
44 gaudet ab invisâ postmodo liber ope.  
45 Tensa sed ancipiti quamvis sint carbasa vento,  
46 detulit in tutos saepe procella sinus.

A1\_5 v.1 Hei mihi, quam durum est alieno vivere sensu,  
2 quam durum est ipsi subdere colla jugo !

3 Ecce miser dominam per devia rura vagantem  
 4 cogor et invitus, qua jubet illa, sequi.  
 5 Ibimus ad calidi longinquam Gangis harenam,  
 6 ibimus Herculeas, si velit illa, vias,  
 7 ibimus extremas mundi quascumque per oras,  
 8 in via qua nullo sunt loca trita pede,  
 9 longa nec incerti tardabit semita cursus :  
 10 tam levis est ipso passus amore labor.  
 11 Libera qui molli subjecit colla catenae,  
 12 non timet ille tuos, curva Malea, sinus.  
 13 Non hunc Scylla rapax terret, non vasta Carybdis,  
 14 non ea quae duplex littora Syrtis habet,  
 15 non gravis exustos findit cum Sirius agros,  
 16 non, quae cocta novo frigore torpet hyems.  
 17 Non timet arenti sitientes gutture fauces,  
 18 et valido duram sustinet ore famem.  
 19 Multa licet faciat Curio damnanda severo,  
 20 nil praeter facilem curat amator heram.  
 21 Feminum fortis stamen versavit Achilles,  
 22 dum cupit amplexus, Deidamia, tuos.  
 23 Nec minus Alcidem memorant data pensa trahentem  
 24 illa, qua fuerant monstra subacta, manu.  
 25 Adde quod herboso tauros de monte Pheraeos  
 26 rusticus ad vilem duxit Apollo casam.  
 27 Cogitur immensi quaecumque potentia mundi  
 28 dura pharetrati frena subire dei.  
 29 Ne me igitur, tetrici, mollem damnate, Catones ;  
 30 ipse ego sum dempto sanctus amore Numa :  
 31 lascivum genitrix vatem natura creavit ;  
 32 improba sint quamvis, quae dedit illa, sequor.  
 33 Provida quae mandant naturae jura potentis,  
 34 inviolata suis legibus illa manent.  
 35 Ignoscenda venit tanti sed culpa furoris :  
 36 invidiosa mei causa furoris adest  
 37 qua sine nocturna lux est obscurior umbra  
 38 qua sine viventi nil mihi dulce reor.  
 39 Hermionem superat, superat Nycteida, tuque,  
 40 pulchra, stupes tanto victa decore, Venus.  
 41 Est aliqua in raram virtus periisse puellam :  
 42 quae venit ex turpi, sordida fama venit.  
 43 Ite procul, timidi, procul hinc discedite, segnes :  
 44 non nisi magnanimis est Venus apta viris.

A1\_6 v.1 Annua versatis mandantur semina sulcis,  
 2 pinguis ut exulta messis abundet humo.  
 3 Junguntur teneris praecelsae vitibus ulmi,  
 4 ut sua veloci pressa sit uva pede.  
 5 Ut capiat longo speratas tempore merces,  
 6 anxius in mediis navita sudat aquis.  
 7 Vitalem intensos segetem formica per aestus  
 8 servat, ut a gelida tuta sit illa nive.  
 9 Quam suavis, quam blanda quies, quam grata voluptas,  
 10 quam nihil optata spe cecidisse juvat !  
 11 At nos fallaci stultam sub amore juventam

12 trivimus, ut nostro certa sit aura malo.  
 13 Sed mea vesanis agitata est cymba procellis,  
 14 in caecisque fuit paene sepulta vadis,  
 15 fidaque cum tuti sperarem littora portus,  
 16 saevior infesti nunc maris unda tumet.  
 17 Non semper media pugnat gladiator arena :  
 18 sedulus e nostro corde triumphat Amor.  
 19 Ast ego sim quamvis letali saucius ictu,  
 20 apparent nullo vulnera facta loco,  
 21 illaque putrescunt cunctis ignota medelis :  
 22 multiplicat vires abdita flamma suas.  
 23 Nota licet fieret tantorum causa malorum,  
 24 non ego Paeonia liber ab arte forem.  
 25 Non rapidis praeceps undis exstingueret Hebrus,  
 26 nec cantata meas tolleret herba faces.  
 27 Non levat hunc Paeon, non hunc Medea furorem  
 28 hic superimpositis auctior ardet aquis,  
 29 ardet ut immensis sparsum magis imbribus arvum,  
 30 quod proprio arboreas non cremat igne comas,  
 31 utque Hiera in medio vastas vomit aequore flammās.  
 32 O natura modis prodigiosa tuis !  
 33 Non tamen haec perdit morientes flamma medullas,  
 34 major ut assiduo poena dolore fluat :  
 35 sic male Caucasea religatus rupe Prometheus,  
 36 sic Tityus saevam pascit inultus avem.  
 37 Livia sola potest nostros lenire dolores,  
 38 improbus incauto quam mihi junxit Amor.  
 39 Sola cruentato latum quod pectore vulnus  
 40 fixit, Achilleo tollere more potest.  
 41 Fervere perpetuo debent si nostra vapore  
 42 membra, salutiferum non habitura modum,  
 43 vos, o ducentes mortalia pensa sorores,  
 44 in quarum arbitrio morsque salusque manet,  
 45 hanc, precor, hanc animam tantis exsolvite poenis  
 46 ut saltem hoc possim morte carere malo.  
 47 Ipse licet miti felix in amore triumphes,  
 48 impia tam gratum toxica nectar habet.

A1\_7 v.1 Perdita si miseri mens est tibi subdita vatis,  
 2 cur possessa fero sub pede colla premis ?  
 3 An proba sublimis merito tibi fama triumphī est,  
 4 si tua jam strato saeviat ira viro ?  
 5 Ah nimium facilis res est, mihi crede, jacentem  
 6 vincere, qui nulla se tueatur ope !  
 7 Inclyta paganae praeponit Olympia palmae,  
 8 qui velit invicto digna trophaea viro.  
 9 Semper ab excelso quaerenda est fama triumpho :  
 10 maxima nam summis gloria rebus inest.  
 11 In nova magnanimi pugnant armenta leones,  
 12 nec facit ad tantam praeda minuta sitim.  
 13 Lemnia turbato quae suggerit arma Tonanti,  
 14 non nisi se magno sanguine pascit avis.  
 15 Ipse ferox elephas, niveo qui dente superbit,  
 16 horribili parvas non petit ore feras.



17 Vilia si modico domuisset monstra labore,  
 18 non foret Herculeae gloria tanta manus.  
 19 Tu quoque, cunctarum dux invictissime rerum,  
 20 ne vaga de minimo nomina vate geras,  
 21 grandius armigerum decus est superare Tonantem  
 22 et dare luctantes sub tua jura deos.  
 23 Si tamen humana clarum de laude triumphum  
 24 concupis, unde tibi palma petatur, habes.  
 25 Impia quae nostros praedata est Livia sensus,  
 26 fortia fac dextrae sentiat arma tuae.  
 27 Major erit, pharetrate puer, tibi gloria, quam si  
 28 vincta forent laqueis numina cuncta tuis.  
 29 Pulchrius hac nihil est, nihil est hac durius una :  
 30 forma quidem digna est vivere, corda mori.  
 31 Da, puer, arguto pulsandas pectine cordas,  
 32 da Methymnaeo cymbia plena mero.  
 33 Qui modo durus erat, tigrique immanior ipsa,  
 34 annuit et dextro sternuit ore deus.  
 35 Ut rigidum assidua teritur rubigine ferrum,  
 36 sic gravis assidua flectitur ira prece.

A1\_8 v.1 Qualia odorato sudant opobalsama ligno,  
 2 qualia vel dives cinnama mittit Arabs,  
 3 qualia fumantes fragrant pia thura per aras,  
 4 qualis et e fracto cortice nardus olet,  
 5 talia nunc sumpsi luctantibus oscula linguis,  
 6 oscula per longas continuata moras.  
 7 Ac veluti demens stimulantem concitus oestro,  
 8 signabam innumeris morsa labella notis.  
 9 Murmura Chaonias superabant nostra columbas,  
 10 quaeque salax verno tempore passer habet.  
 11 Non secus implicitae flexis sunt vitibus ulmi,  
 12 non secus est hederis hasta revincta suis,  
 13 quam mea sunt valido circumdata brachia nexu,  
 14 quam mea pectoribus pectora juncta tuis.  
 15 Omnia dum prodest lapsi discrimina casus  
 16 et mala jam tepido passa referre sinu,  
 17 oscula ruperunt medias iterata querelas  
 18 mixtaque cum blandis dulcia verba jocis.  
 19 Non tot avara dedit poscenti Lesbia vati,  
 20 illa licet nulla sint numeranda die.  
 21 Talia non rapuit geminata basia nocte,  
 22 cum sua furtivus gaudia cepit amans.  
 23 Talia non dederat, totum quae pulsa per orbem  
 24 agresti tandem de bove facta dea est,  
 25 nec regit incertos fido quae sidere nautas,  
 26 dum micat Arctoo Parrhasis Ursa polo,  
 27 talia non Danae turrim servata per altam,  
 28 dum fluit in teneros aurea gutta sinus,  
 29 lusa nec albentis falsa sub imagine cygni,  
 30 ipsa nec a ficto vecta puella bove,  
 31 talia non Semele telis exusta trisulcis,  
 32 nec quaecumque suum flexit amica Jovem.  
 33 Tam bene mellitus redolentis spiritus oris

34 tinctaque tam suavi nectare labra juvant.  
 35 Aliger o laetis nimium puer invide rebus,  
 36 o puer optatis insidiose meis,  
 37 cetera cur fraudas felici gaudia fine,  
 38 ut mediis sitiam Tantalus alter aquis ?  
 39 Cur jam pene suos tangentia linthea portus  
 40 deseris, et coepta non sinis ire via ?  
 41 In mea cum dederas nudatam jura puellam,  
 42 linea cur voto est quinta negata meo ?  
 43 Quam mare, quam tellus, quam numina cuncta tremiscunt,  
 44 cur non una tua victa puella manu ?  
 45 An duce me vincta est Siculis Cytherea catenis,  
 46 tritaque cum capto fabula Marte fuit ?  
 47 An nostra Iliacis offensa est cuspide campis,  
 48 et mea sunt fratri bella parata tuo ?  
 49 An feror invitus lascivi miles Amoris,  
 50 et tua subducta vulnera fronte gero ?  
 51 Nunc piget ante aram sectas posuisse columbas  
 52 et mala pro crudo tanta tulisse deo.  
 53 Effusum celeres votum si mittat in auras,  
 54 indignum oblata est numen honore frui.  
 55 Irrita qui sterili committit semina terrae,  
 56 huic media est docta vena secunda manu.  
 57 Accipiter firmo praedam tenet ungue cruentam,  
 58 capta sed e nostro fugit amica sinu.  
 59 Ah nimium simplex tantoque indigne triumpho !  
 60 Non avis haec fuerat cassibus apta meis.  
 61 Debuit ante meo caput hoc cum corpore caedi,  
 62 tam bona quam cupido rapta fuisse viro.  
 63 Ammissae, fateor, gravis est jactura puellae,  
 64 sed leviora suo damna pudore manent.  
 65 Quae nova jam tangit mutatam insania mentem ?  
 66 An reus ingrati criminis actus ero ?  
 67 Gaudia sufficiant coepto possessa secundo,  
 68 gaudia vel magnis invidiosa deis.  
 69 Si semel amplexum Syrix fovisset amantem,  
 70 non foret imparibus fistula facta sonis,  
 71 nec Pan invisus gelidas Ladonis ad undas  
 72 ingemeret fati stamina fusca sui.  
 73 Et dolet Aetolis latitans Achelous in undis  
 74 vulsaque de trunca cornua fronte gemit.  
 75 Si modo tacta forent dilectae virginis ora,  
 76 integer expanso curreret ille gradu.  
 77 Cum fugeret Daphne celerem Peneia Phoebum,  
 78 hac cupido potuit lege placere deo ;  
 79 nec mutata novas gestassent corpora frondes,  
 80 illa sed ad patrias tuta fuisset aquas.  
 81 Ergo erit offensi placanda Cupidinis ira :  
 82 saevit in ingratos ultio justa viros.  
 83 Talia succedunt longo post tempore vota :  
 84 gratius est lenti semper amoris opus.

A1\_9A v.1 Heu, heu, quam vanum est humanis fidere rebus,  
 2 quam vanum est ullo ponere certa loco !

3 Omnia labuntur vario mortalia casu,  
 4 et nihil aeterna condicione datur.  
 5 Ille ego, jam tumidus lascivi spretor amoris,  
 6 ecce novo dederam libera colla jugo.  
 7 Quaelibet insolitis gaudent primordia rebus,  
 8 atque recens veteri gratius exstat opus.  
 9 Ut mea non parvo vinxit praecordia nexu,  
 10 mobilis adverso fugit amica pede,  
 11 ut fugit inspecto trepidus serpente viator,  
 12 dum queat in tuto delituisse loco.  
 13 Surdior et magno gaudenti murmure fluctu  
 14 despicit, acceptam frangit et illa fidem.  
 15 Littoreas facilis volvit ceu ventus harenas,  
 16 sic levis assueto femina more labat  
 17 debueras celeri fugientem avertere cursu  
 18 urere nec messes, dire Cupido, tuas.  
 19 Debueras rigidae mentem flexisse puellae,  
 20 ne tantum arrepto crimen amore fores.  
 21 Ah nimis addicti ferus es desertor amantis !  
 22 Justa patrocinio est causa tuenda pio.  
 23 Seria quae referet tristes pellentia curas  
 24 aut pura immixtos simplicitate jocos ?  
 25 Quae fallet vario longum solamine tempus,  
 26 cum ferus in nostro corpore languor erit ?  
 27 Quae memoranda dabit rarae praeconia formae ?  
 28 Quae fiet numeris digna puella meis ?  
 29 Quid queror ? Haec celeres discerpunt omnia venti,  
 30 vanaque Carpathium trans mare verba ferunt.  
 31 Quam manet infelix caecaque cupidine captus,  
 32 qui tua, tam fallax, castra sequatur, Amor !  
 33 Si sequar ipsa tuae repetens primordia sortis,  
 34 non erit aethereo vilior axe deus.  
 35 Te peperit genitrix scorto sceleratior omni,  
 36 ut Phrygis Anchisae turpia furta monent,  
 37 ut monet occulto deprehensus conjuge Mavors,  
 38 pulchraque cui frendens inguina rupit aper,  
 39 ut puer ille monet Siculis generatus in oris,  
 40 et triplici sola qui vice morte perit.  
 41 Aggrederis facinus nullo memorabile saeclo,  
 42 et nimis ausurum grandia frangis opus.  
 43 Mollia diverso semper teris otia lusu,  
 44 torpet et immundo pigra juvena situ.  
 45 Spicula quae gestas facibus connexa protervis,  
 46 vulnera dant tacitis non nisi caeca dolis.  
 47 Tu levibus foliis vernaque incertior aura :  
 48 hoc quatiens humeros indicat ala tuos.  
 49 Tu geris obscura saeptam caligine mentem :  
 50 hinc tua conveniens lumina vitta premit.  
 51 Quam bene docta manus puerum te pinxit inanem !  
 52 Nam tua quaeque suo pondere verba carent.  
 53 Tu nudata tenes fucato membra colore,  
 54 ut miserum allicias in sua damna virum.  
 55 Forma nihil laedit tacitis velata sub umbris ;  
 56 omnibus illa magis visa nocere solet.  
 57 Rosida ni juvenem spectasset Cynthia nudum,  
 58 non foret a summo tam male lapsa polo.

59 Tyndaris exercet patriam dum nuda palestram,  
60 rapta est Thesea protinus illa manu ;  
61 si Venus Iliaca vestita fuisset in Ida,  
62 non dea cum socia Pallade victa foret.  
63 At semel inductus, media ceu navis in unda,  
64 linquitur, incerta statque caditque vice.  
65 Prima terit semper felici limina gressu ;  
66 post miser adverso sidere fertur amans :  
67 namque chaos variis sinuatum erroribus intrat,  
68 nec datur ex ulla posse redire via.  
69 Quo magis expertus, magis est tricabilis error,  
70 ut torto implicitus stamine pullus inest.  
71 Haec bene Daedaleos superat domus atra reflexus,  
72 haec bene Niliaci tecta recurva soli.  
73 Sperat et inclusus pulsa vaga lumina nocte,  
74 sed decepta sua spes cadit illa fide.  
75 Ac velut indigno clausus sub carcere quisquam  
76 sperat, et oblata non tamen exit ope,  
77 non aliter Stygio largos de gurgite fluctus  
78 e gravidaque senex arbore poma capit.  
79 Ut miserum urgenti se tandem ambage resolvat,  
80 exiguo largas tempore fundit opes.  
81 At postquam jacta est consumptis alea rebus,  
82 vivus et est uno tempore functus amans.  
83 Incipit ille gravi totus pallescere cura,  
84 duraque sublato frena favore pati,  
85 discit et incerto vaga ducere pectora motu  
86 multaque non uno falsa timere modo,  
87 discit et infausti quam sit grave pondus amantis.  
88 Si qua tenet, tristi gaudia felle madent,  
89 quae male tam subito clauduntur inania fine,  
90 ut superinducta lumina pelle solent.  
91 Improbe, tunc gestis saeva cum matre, Cupido,  
92 scilicet omne tua manat ab arte nefas.  
93 Illa nimis Syrio venerata Semiramis orbe  
94 se male membroso te duce junxit equo,  
95 sensit et irati letalia vulnera nati,  
96 cum vetiti fuerant probra petita tori.  
97 Te duce furata est flaventem Scylla capillum,  
98 illaque truncato pulsa parente dolet,  
99 arsit et in niveum conjunx Minoia taurum,  
100 et subiit falsae lignea monstra bovis ;  
101 perdidit invitum maerens Philomela pudorem,  
102 hujus et Othrysia lingua recisa manu ;  
103 quin etiam juvenis stricto Babylonius ense  
104 cum socia pariter fossus amante perit.  
105 Te duce suspensa est laqueo Schenobea sinistro  
106 Phyllis, et hoc ipso est Phaedra perempta modo,  
107 ipsaque Circaeο versa est medicamine Phorcis,  
108 inguina latranti quae cane cincta tenet ;  
109 te duce fraterna patrios jam caede Penates  
110 polluit infanda Colchis iniqua manu ;  
111 et quia pugnata est avido Cepheia Perseo,  
112 Phineus Eoa saxeus exstat humo ;  
113 te duce Myrrha suos lacrimanti cortice vultus  
114 turpiter ignaro mixta parente tegit ;

115 et mutata suo quaesita est nata parente,  
 116 illaque mugitu vacca reperta suo.  
 117 Diruta sunt duplici Neptunia Pergama lustro  
 118 tractus et Haemoniis ter fuit Hector equis.  
 119 Te duce, non ulli quamvis obnoxia culpae  
 120 jam rea mentito teste Susanna fuit ;  
 121 caeditur Urias veri sub imagine belli,  
 122 ut David optata posset amante frui ;  
 123 sanctaque monstrifera dum jura libidine foedat,  
 124 corrui in rapidas Gomora versa faces.  
 125 Te duce fraternis fossus cadit ictibus Hamon ;  
 126 cumque suo Sichen patre necatus obit ;  
 127 perdidit invictus per te sua robora Samson :  
 128 obruit evulsa seque suosque domo.  
 129 Carpit Holophernes altum dum nocte soporem,  
 130 heu male femineo caesus ab ense jacet.  
 131 Adde quod Herodes Furiis agitated iniquis  
 132 non leve suspecti crimen amoris habet.  
 133 Ipse etiam Salomon populo sapientior omni  
 134 obtulit externis sacra nefanda deis.  
 135 Caetera si referam sceleris monumenta nefandi,  
 136 deficient numeris carta notata meis.  
 137 Cede igitur ! Quid adhuc, quid te mora longa retardat ?  
 138 Cede, inquam, nostro corde, rebellis Amor !  
 139 Liber ero posthac vinclo resolutus ab omni,  
 140 perfida nec nostra signa locabis humo.  
 141 Qui semel est quassus tumidis mercator in undis,  
 142 si dubias repetat, nil sapit ille, vias.

A1\_9B v.1 Te duce suspensa est laqueo Schenobea sinistro  
 2 Phyllis, et hoc ipso est Phaedra perempta modo ;  
 3 mergitur infelix caeca Leander in unda,  
 4 dum natat in vestros, Sesta puella, sinus ;  
 5 ipsaque Circaeo versa est medicamine Phorcis,  
 6 inguina latranti quae cane cincta tenet ;  
 7 nec minus aspiciens vitreis Narcissus in undis  
 8 uritur, et proprio concitus igne perit.  
 9 Te duce fraterna patrios jam caede Penates  
 10 polluit infanda Colchis iniqua manu ;  
 11 et contempta cavis resonat sub montibus Echo,  
 12 traditur extremae cui breve vocis iter ;  
 13 ac male rauca novem crocitat per saecula cornix,  
 14 et dirum infausti gutturis omen habet ;  
 15 occidit absumptus trunco Meleager adusto ;  
 16 Biblida, quid Canacem Nyctimenemque loquar ?  
 17 Te duce Myrrha suos lacrimanti cortice vultus  
 18 turpiter ignaro mixta parente tegit ;  
 19 et mutata suo quaesita est nata parente,  
 20 illaque mugitu vacca reperta suo ;  
 21 et duo Sicaniis pressi sub montibus exstant,  
 22 mutua quos spreto cura Cyclope tenet ;  
 23 truncatamque gemit frontem Calydonius amnis,  
 24 Aetolasque suis fletibus auget aquas.  
 25 Te duce Mimmalion Psylaeo saucius arcu

26           ictus et Herculeo vulnere Nessus obit ;  
 27   opprimitur fugiens tremula sub harundine Syrinx,  
 28           inque nova Lotos arbore tecta gemit.  
 29   Leucothoe tumulo defossa est visa sub imo,  
 30           fundit et haec guttas thurea virga pias.  
 31   Et quia pugnata est avido Cepheia Perseo  
 32           Phineus Eoa saxeus exstat humo ;  
 33   Tu facis ut Cybele gemino sit tracta leone,  
 34           dum prostat sacro victa puella loco,  
 35   ut profugus condat Boeotia moenia Cadmus,  
 36           hujus et ardenti fulmine nata cadat,  
 37   utque Ceres toto maestissima quaerat in orbe,  
 38           heu, sua Tartareo pignora rapta Jove.  
 39   Tu facis insolitos ut Parrhasis Ursa per agros  
 40           erret, et a nato paene sit icta suo  
 41   et quamvis gelido pariter sint axe recepti,  
 42           non tamen est vetito tinctus uterque mari.  
 43   Exuit et virgo propriam Peneia formam,  
 44           factaque Thessalicos laurus obumbrat agros.  
 45   Tu facis ut duplici solo stet corpore sexu  
 46           tinctus in incertis Hermaphroditus aquis,  
 47   ut vitreum in fontem velox Arethusa liquescat,  
 48           lusaque fallaci Procris amore cadat,  
 49   ut sit Amantiades puero confossus amato,  
 50           et laniata citis Hippomenea rotis.  
 51   Tu facis aerea delapsus ab arce Pyreneus  
 52           opprimat Haemoniam sanguinolentus humum,  
 53   nocturnumque scelus Locris simulata trucidet  
 54           turpiter ancillam, mane nitente, suam,  
 55   ut sit fraterna jugulatus conjuge Leucon,  
 56           atque Thyestaei furta nefanda tori.  
 57   Tu facis ut praeceps scopulo cadat Aesacus alto,  
 58           hicque necaturis mersa sit ales aquis.  
 59   Hinc tua te sequitur vertentem femina, Titan,  
 60           atque sui causam nominis inde trahit.  
 61   Hinc fuit offensae ferventi Palladis ira  
 62           turpiter anguigeris nexa Medusa comis.  
 63   Hinc Hyries etiam puerili accensus amore,  
 64           dum ruit ex altis montibus, exit olor.  
 65   Te duce, non ulli quamvis obnoxia culpae  
 66           jam rea mentito teste Susanna fuit ;  
 67   caeditur Urias veri sub imagine belli,  
 68           ut David optata posset amante frui ;  
 69   sanctaque monstrifera dum jura libidine foedat,  
 70           corrumpit in rapidas Gomora versa faces.  
 71   Te duce fraternis fossus cadit ictibus Hamon,  
 72           cumque suo Sichen patre necatus obit ;  
 73   carpit Holophernes altum dum nocte soporem,  
 74           heu male femineo caesus ab ense jacet.  
 75   Adde quod Herodes Furiis agitatus iniquis  
 76           non leve suspecti crimen amoris habet.  
 77   Perdidit invictus per te sua robora Samson :  
 78           obruit evulsa seque suosque domo.  
 79   Ipse etiam Salomon populo sapientior omni  
 80           obtulit externis sacra nefanda deis.  
 81   Diruta sunt duplici Neptunia Pergama lustro,

82 tractus et Haemoniis ter fuit Hector equis.  
 83 Occidit Aeacides Phrygias percussus ad aras,  
 84 occisoque fuit virgo litata duci.  
 85 Castaque disrupti sociati vincula lecti,  
 86 et misero Aegisthus sanguine tinctus abit.  
 87 Cogis ut ipsa furens temerata virgine Pallas  
 88 in Danaas jaciat tela paterna rates.  
 89 Cogis ut infelix fodiat sua pectora Dido  
 90 praebeat et structis membra cremanda rogis.  
 91 Per te transfixa est stricto Lucretia ferro,  
 92 cumque sua profugus gente Superbus abit.  
 93 Factaque jam custos Vestalis adultera flammae  
 94 in rapidas miseram se male jecit aquas.  
 95 Ictibus est per te Virginia caesa paternis,  
 96 ipsaque Tarpeio prodita Roma dolo.  
 97 Caetera si referam sceleris monumenta nefandi,  
 98 deficiet numeris carta notata meis.  
 99 Cede igitur ! Quid adhuc, quid te mora longa retardat ?  
 100 Cede, inquam, nostro corde, rebellis Amor !  
 101 Liber ero posthac vinclo resolutus ab omni,  
 102 perfida nec nostra signa locabis humo.  
 103 Qui semel est quassus tumidis mercator in undis,  
 104 si dubias repetat, nil sapit ille, vias.

A1\_10 v.1 Et merito irrisa est variae sententia mentis :  
 2 si qua vacant solido verba tenore, labant.  
 3 Non datur immota deductus origine sensus  
 4 exstet ut ille sua condicione minor,  
 5 firmior excelsis sed robore montibus orto,  
 6 horrida quod nulla flamina parte movent  
 7 sit licet ingenti librandus pondere sermo,  
 8 attamen hac nullus lege tenetur amans.  
 9 Ipse carens certis amor est rationibus expers :  
 10 alter et alterius jura coactus init.  
 11 Femina si facilem cupido se praestet amanti,  
 12 tunc domus innumeris plausibus icta sonat,  
 13 spernitur aurifera tunc Lydius amnis harena ;  
 14 carior est ipso lenis amica Tago.  
 15 At si nativis mutata est usibus illa,  
 16 aspicias in querulos gaudia versa modos,  
 17 carior et Croesi toto jam divitis auro,  
 18 dicitur abjecto vilior esse fimo.  
 19 Et tacito intensus sub pectore clauditur ardor,  
 20 ne manifesta suo lumine flamma micet.  
 21 Callida detectos cum femina percipit aestus,  
 22 saevior in notas permanet illa faces.  
 23 Postmodo magnifici sublimia verba Tonantis,  
 24 icta vel invitae foedera pacis amant.  
 25 Non graviore miser damno tentatur amator,  
 26 quam sua cum pronas spernit amica preces.  
 27 Si nulla est igitur nostrae constantia menti,  
 28 quae velit atque uno tempore nolit opem,  
 29 qua sine vanescunt lentis mea viscera flammis  
 30 non secus ac gelidae, sole tepente, nives,

31 non ego, sed dubius fundit vaga verba Cupido,  
 32 qui regit ad nutus pectora nostra suos.  
 33 Pareat addictus domino quicumque iubenti :  
 34 si venit auctori, culpa luenda venit.

## LIBER SECUNDUS

A2\_1 v.1 Humida nox aderat caecis velata tenebris,  
 2 et latitans medium Luna secabat iter,  
 3 versaque in aequoreos properabant sidera fluctus,  
 4 ibat in arctoo lenta sed Ursa polo.  
 5 Repserat alta quies primos resoluta per artus,  
 6 atque oblita sui corda laboris erant.  
 7 Somnia tunc vidi certo venientia gressu,  
 8 quae foribus misit cornea porta suis.  
 9 Namque meas variis mulcebat cantibus aures  
 10 caelestes referens Musa novena sonos.  
 11 Has medius nitida lustrabat lampade Phoebus,  
 12 rectus et ex illo principe coetus erat.  
 13 Priscaque convolvens et gesta recentia Clio  
 14 rettulit in fastis tempora scripta suis.  
 15 Euterpe calamos inflabat laeta sonoros,  
 16 Terpsichore cantus associante pares,  
 17 et quae vincta manet tenui comoedia socco  
 18 prolata est verbis, blanda Thalia, tuis.  
 19 Stabat Melpomene rubeis induta cothurnis,  
 20 et tragicum maesta voce canebat opus.  
 21 Nec minus, o Erato, terram dimensa rotundam  
 22 monstrabas spatio quanta sit illa suo.  
 23 Ipsaque rhetoricis facunda Polymnia nervis  
 24 miscuit Actaei dulcia mella favi.  
 25 Quin etiam assidua rapti vertigine caeli  
 26 Urania <ac>citum docta notabat iter.  
 27 Heroum ingenti carmen reboabat hiatu  
 28 excellens reliquas Calliopea deas.  
 29 At tu, Phoebe, cavo Cyllenia pectine dona  
 30 tangebās, longis conspiciende comis,  
 31 cum sic scrutatrix causarum virgo latentum  
 32 increpat, heu, tardas in mea damna moras :  
 33 "Pigra quid Ausoniis frustra teris otia campis,  
 34 immemor o saeculi, Fauste poeta, tui ?  
 35 Nunc nova Sforciadae generosaque corda Philippi,  
 36 nunc dux Montanofeltrius orbe vacat.  
 37 Alphonso pannosa caret tutore Camena,  
 38 munificusque sui Borsius aeris abest.  
 39 Pontificis praelarga Pii clementia cessit,  
 40 et virtus, Quinto deficiente, jacet.  
 41 Nec nomen, Gonzage, tuum, Lodovice, silebo ;  
 42 Heu, qualem amisit Pegasis unda ducem !  
 43 Quare, age, cum surget croceis Aurora capillis,  
 44 canaque cum tepido sole pruina fluet,



45 impiger accelera Gallas accinctus ad oras,  
 46 quas Rhodanus celeri, quas Arar ambit aqua,  
 47 contudit invictus decimo quas Caesar in anno,  
 48 dum pressit posito colla superba jugo,  
 49 excita nocturno sensit quas Roma sopore,  
 50 cum vigil huic subitam praestitit anser opem,  
 51 cum nimis infesto prostrata cadavera Marte  
 52 Allia sanguineis volvit onusta vadis.  
 53 Illic aereo fortis de vertice rupis  
 54 pectora magnanimus docta Guielmus amat,  
 55 excipit et sacros studioso pectore vates,  
 56 ut volucris pullos officiosa suos.  
 57 Non ea seposito procul est sita climate tellus,  
 58 qua parili opposita limite signa meant.  
 59 Non excelsa ferunt, alium non ima calorem  
 60 solsticia, est illo quarta nec umbra loco.  
 61 Non sitit intensis duplex fervoribus aestas,  
 62 non hiberna novo bina tepore vigent.  
 63 Non regit aequales semper vaga Cynthia currus,  
 64 nec Sol est paribus semper anhelus equis.  
 65 Non trahit accelerans velocia plaustra Bootes,  
 66 Ursa nec occiduo mersa sub axe latet.  
 67 Signa obliqua cadunt aequo scandentia gressu,  
 68 ortaque directo tramite prona ruunt.  
 69 Solstitiumque duplex et sola inducitur aestas,  
 70 solaque cum glacie bruma rigente venit.  
 71 Et flexa in Septem totam videt umbra Triones  
 72 non ausam aequoreas Arcton inire vias ;  
 73 hujus et incedit Custos pede tardus inertis,  
 74 nec nisi par bina est noxque diesque vice.  
 75 Si foret et toto divisus ab orbe Guielmus,  
 76 attamen hic subitis est adeundus equis,  
 77 ne tanti miranda viri commercia desint,  
 78 quo nihil aethereo sub Jove majus adest".  
 79 Haec ait et Somnus tacitis evanuit alis  
 80 tradita nec celeri jussa fuere Noto.  
 81 Ecce tibi, princeps cunctarum maxime rerum,  
 82 carmina primaevae fluxa calore damus,  
 83 ut data sint per te levibus nova pondera nugis,  
 84 utque tuo clarus lumine fumus eat.  
 85 Si fuerit meretrix tetrico laudata Catone,  
 86 illa vel austeris nuda placebit avis.

A2\_2 v.1 Jam parat Ocnaeis discedere Livia campis  
 2 et subito in patrios ire coacta Lares.  
 3 Obvia prosternas, subsidens, aequora, tellus,  
 4 ne male clivosa fessa labore humo.  
 5 Ne rapida mixtos infundas grandine nimbos,  
 6 ipsa sed instantes subtrahe, Juno, manus.  
 7 Haec tua non properat temerare cubilia pellex,  
 8 sed te praecipua simplicitate colit.  
 9 Tu quoque, si memor es flammularum, Phoebe, tuarum,  
 10 mitia suppresso lora calore move ;  
 11 urere divini tam membra decentia vultus

12           esset in invidiam culpa ferenda tuam.  
 13 Des etiam patulum dominae velamen eunti,  
 14           qualibet expansis arbor opaca comis.  
 15 Comprime prorupta ventos sub mole frementes  
 16           et, facilis, dextros, Aeole, mitte Notos.  
 17 Si nemus umbrosum silvasque intrarit opacas,  
 18           incola, securam, Cynthia, pande viam,  
 19 et cave ne rapiant Fauni mea vota procaces :  
 20           nam tua sunt forti jura tuenda manu.  
 21 Vos, liquida, intranti placidos date, flumina, cursus,  
 22           tristia ne vestris nomina praestet aquis,  
 23 praestitit ut patriis infelix fluctibus Helles,  
 24           cum male velligero tergore vecta foret.  
 25 Nec minus, o sonipes tanto sub pondere foelix,  
 26           fac serves animae credita jura meae.  
 27 Blandius haud animal dominoque fidelius ipsi,  
 28           nec quadrupes docili doctior extat equo.  
 29 Hic bene signa canit venturi praescia belli,  
 30           et salit ad tactam, voce sequente, chelym.  
 31 Hic miseris regi lacrimas diffudit adempto,  
 32           clausit et abjectis tristia fata cibis.  
 33 Hic vario fossus Thebani vulnereteli  
 34           Pellaeum eripuit densa per arma ducem.  
 35 Hic quoque praecipitem specula se misit ab alta,  
 36           captus ut indigno liber ab hoste foret.  
 37 Hic est Caesareo numquam nisi pondere pressus :  
 38           tanta erat in dominum cura fidesque suum.  
 39 Invitam patrias jam te vecturus ad oras  
 40           hinnit et uda ferox frena remordet equus.  
 41 Saepius et velox pressam cavat ungula terram,  
 42           nuntiat et motum prospera signa caput.  
 43 Jungito jam dextram dextrae jamque oscula mille,  
 44           mille sonent, nostras imbre rigante genas.  
 45 Jamque memor valeas addicti Livia Fausti :  
 46           certa vel absentem servat amica procum.

A2\_3    v.1    At nullos sterilem latratus mittit in auram,  
           2           qui fuit antiqua doctus ab arte canis ;  
           3           et vetus est rara deprensa indagine vulpes,  
           4           vana nec expertus verba magister habet.  
           5           O quotiens : "Specta", quotiens : "Cave, Livia", dixi,  
           6           "decidat in cyathum ne qua ruina tuum".  
           7           Intrepida nullos agitabas mente timores ;  
           8           attamen efractus turpiter ille jacet.  
           9           Nunc piget aérias monitus jactasse per auras,  
           10           nec juvat exacti paenituisse mali.  
           11           Non bene contemnit veterem nova semita cursum :  
           12           nam solet expertis rebus inesse fides.  
           13           Heu, quantum insipiens passa est incuria damnum :  
           14           non erat in toto pulchrior orbe calix !  
           15           Scilicet infelix Veneta delatus ab urbe,  
           16           stabat Apelleae pictus ab arte manus.  
           17           Ebria spumabant calcatis praela racemis,  
           18           tinctus et ex omni parte Lyaeus erat.

19 Mensaque fervebat caelesti splendida luxu ;  
 20 libabat roseo Phryx puer ore Jovi ;  
 21 et querula intonsus cithara cantabat Apollo  
 22 impia terrigenae corpora caesa manus.  
 23 Parte alia nudo prensam cum Marte Dionem  
 24 monstrabant reliquis Lemnia vincla deis.  
 25 Proximus in Phrygia stabat Paris arbiter Ida  
 26 et dabat Idaliae poma ferenda deae ;  
 27 stabat et indignans dejecto lumine Pallas  
 28 et conjunx magni spreta Tonantis erat.  
 29 Qualibet hausisses vivas ab imagine voces,  
 30 ni data Caucasea poena fuisset ave.  
 31 Horrida nam timuit miseri tormenta Promethei,  
 32 qui tantum invictae fecerat artis opus.  
 33 Hoc quondam Alcinous reduci libasset Ulyxi,  
 34 pulsus ab aequoreis cum stetit hospes aquis.  
 35 Hunc Tyrio increpitans Bitiae tribuisset Elisa,  
 36 illo si cyathus tempore factus erat.  
 37 Disce iterum subitae ventura pericula sortis :  
 38 nam modico felix tempore vertit iter.  
 39 Disce modum rebus certum servare secundis ;  
 40 interdum est portu fracta carina suo.  
 41 Saeva quid immeritae facio convicia sorti ?  
 42 Provida consuluit casibus illa tuis.  
 43 Cum scyphus iste foret, te discedente, relictus,  
 44 haud alius tanto munere dignus erat.  
 45 Sic igitur potius voluit Fortuna jaceret  
 46 quam nova non digni jura subiret heri.  
 47 Tangere sacra nefas magnorum vasa deorum est,  
 48 nec licet ambrosias sumere quemque dapes.  
 49 Stulta, quid ipsa rigas iteratis fletibus ora ?  
 50 Sunt potius vitae fata gemenda meae.  
 51 Plurima comperies majori cymbia cultu,  
 52 altera sed nullis Livia rebus erit.

A2\_4 v.1 Improbe, tam molli gestis quid, lectule, pluma ?  
 2 Stulte, quid ornatu splendidiore tumes ?  
 3 An credis blandosque jocos, dulcesque susurros,  
 4 gaudia et assueto nostra fovere sinu ?  
 5 Falleris, ah demens, nostrorum ignare malorum ;  
 6 non sum ego deliciis laetus ut ante meis.  
 7 Nil tener iste torus, nil stragula picta videntur,  
 8 nil camera insigni conspicienda trabe.  
 9 Illa etenim tenebras abiens induxit opacas,  
 10 quae facit aspectu cuncta serena suo,  
 11 quae secum roseas Charites pulchramque Dionem  
 12 abstulit et quicquid vernus habebat amor.  
 13 Non aliter, Phoebo fluctus intrante marinos,  
 14 magna sub obscuris noctibus umbra venit.  
 15 Pone igitur tantos, infelix lectule, fastus ;  
 16 pallia tam subitis casibus apta gere ;  
 17 et tecum lacrimas orbata cubilia fundant,  
 18 et sonet in tota crebra querela domo.  
 19 Convenit aequalis fortunae vultus iniquae,

20           sulcat et urgentes nauta coactus aquas.  
 21 Ipse sub horrendis deserti rupibus antri  
 22           consumam vitae tempus inane meae.  
 23 Dicam ego sit quanta tinctus rubigine livor,  
 24           quid parit indigni perfida lingua mali.  
 25 Dicam ego quam sprete gravis est injuria vatis,  
 26           multaque de nostro tempore vera querar.  
 27 Quaeque cavos montes habitat penetrabilis Echo,  
 28           ultima defecta verba remittet ope.  
 29 Sedula vicinas cogent suspiria silvas  
 30           saepius indignam dillacerare comam.  
 31 Forsitan immanis surdas ad principis aures  
 32           hos miserans querulos deferet aura sonos.  
 33 Forsitan ille meos placatus reddet amores,  
 34           cum sciat experti vulnera caeca dei.  
 35 Solus inops misero succurrere discit egenti :  
 36           testis inest Phrygio mitis Elissa duci.  
 37 Vidi ego jam tumidi turbatas aequoris undas  
 38           post modo composita lenius ire via.  
 39 Interea humectent nostros vaga flumina vultus,  
 40           ut memor accepti quisque doloris eat.  
 41 Ipse etiam, arrepta Briseide, flevit Achilles :  
 42           nam venit abducto saevior igne dolor.  
 43 Grata solet pietas casus meminisse ruentis,  
 44           ne cadat officii munus inane pii.

A2\_5    v.1    Ergone tam rapido potuit Fortuna furore  
           2           in mea praecipitem vertere damna rotam,  
           3           lapsus ut ex alto tantarum culmine rerum  
           4           ut grave sublimi pondus ab arce ruam ?  
           5           Credam ego caelesti mortalia subdita curae,  
           6           cum fera sint tantum numina passa nefas ?  
           7           Non fluere incerto potius rear omnia casu  
           8           nullaque mentitum sceptra tenere Jovem ?  
           9           Quid puram coluisse fidem, quid candida prodest  
 10           vita, quid in sanctis thura cremata focus ?  
 11           Cerneret haec, si quis summo deus esset Olympo,  
 12           nec foret abjecta vana querela prece.  
 13           Irrita sed surdo demersimus omnia fluctu,  
 14           o nimia simplex credulitate genus !  
 15           Cur nimis enixa es cruciandum mater alumnum ?  
 16           Debueras fetus ventre necare tuos.  
 17           In me tota ruit nascentem regia caeli ;  
 18           falcifero Mavors cum sene junctus erat.  
 19           Astitit Alecto duplici comitata sorore ;  
 20           omina feralis tristia bubo dedit  
 21           nec meus inducta natalis nube refulsit,  
 22           ne qua foret nitida fronte serena dies.  
 23           At postquam impatiens miserum dolor urget amantem,  
 24           haec erit haec nostro tincta cruore manus.  
 25           Cum fuero infelix gladio trajectus acuto,  
 26           et plangam invisam sanguinolentus humum,  
 27           stet lacerum corpus volucris data praeda rapaci,  
 28           insatiabilibus facta sit esca lupis.

29 Anxia discurrat centenos umbra per annos,  
 30 tectaque non ullo cespite membra gemat.  
 31 Et Stygia optatas cymba cum transvehar undas,  
 32 horrificus triplici me canis ore petat.  
 33 Post modo Tisiphone scindat latus omne flagello  
 34 duret et in poenas ingeniosa meas,  
 35 in loca me ducat populis habitata profanis :  
 36 ista decet sortem noxia turba meam.  
 37 Dent mihi defessae rimosas Bellides urnas,  
 38 praecipitique citae verser ab orbe rotae,  
 39 atque cadens alto saxum de monte revolvam,  
 40 et mea dilanians pectora tundat avis.  
 41 Aspera sint quamvis - quis enim graviora putaret ? -  
 42 Attamen haec nostris sunt leviora malis.  
 43 Nulla manet gravior vidui quam poena furentis ;  
 44 tam miser est medica qui caret aeger ope.  
 45 At tu, crudelis tantorum expulsor amorum,  
 46 et Nero deliciis insidiate meis,  
 47 ecce ferum satia miserando sanguine pectus :  
 48 conveniens factis mors erit ista tuis.

A2\_6 v.1 Non canit assidua religatus compede fossor,  
 2 laeta Perilleo verba nec aere sonant.  
 3 Anxia sublimi pendentia corpora fune  
 4 dant tremula maestos non nisi voce sonos.  
 5 Cocta Cytainis qui toxica sumpsit ahenis,  
 6 haud rabido lepidum fundit ab ore melos.  
 7 Non bene conveniunt gravibus mera gaudia curis :  
 8 oderunt tristes seria verba modi.  
 9 Haec eadem queruli funesta Simonidis ora ;  
 10 haec eadem in Geticam Naso fugatus humum.  
 11 Felix heu, nimium felix nimiumque beatus,  
 12 tempora qui, pulsa nube, serena trahit.  
 13 Ille potest spretis contentus vivere curis,  
 14 maestaque composito reddere laeta joco.  
 15 Solus et ille potest victurum condere carmen  
 16 gestaque non priscis infitianda viris.  
 17 Non ita sentires resonantem bella Maronem,  
 18 pectora si tristi pressa dolore forent.  
 19 Scilicet illa vigent caedrinis digna tabellis,  
 20 quae bene pacata carmina mente fluunt.  
 21 At mea vipereo turgentia guttura felle  
 22 mixta venenato sputa cruore vomunt.  
 23 Ista petunt duram plorantia tempora sortem  
 24 non nisi flebilibus carmina digna sonis.  
 25 Haec etiam invito deducta est littera tractu,  
 26 ulla nec invisum gratia munit opus.  
 27 Hinc Phaethonteos horrent mea scripta vapores,  
 28 aut veteris rapidas Deucalionis aquas.  
 29 Quos tenet ipsa meos, reddat si Livia sensus,  
 30 nostra vel Andinam vincet avena tubam.  
 31 Si redit illa pium non aspernata poetam,  
 32 ingenii salient flumina tanta mei.  
 33 Quam Pallas, quam Musa canat, quam Phoebus et Evan

34 nescio quid praesens Livia majus habet.  
 35 An sinis infirmi vatem torpere veterno ?  
 36 Obsolet an propriis abdita forma bonis ?  
 37 Quam male fraudata est deserto vitis in agro,  
 38 quam male sunt ramis marcida poma suis !  
 39 Non arat incurvo proprias qui vomere glebas,  
 40 arvaque non ullo culta labore sinit,  
 41 spicea cum flavet vicino messis in agro,  
 42 desidia queritur damna pudenda suae.  
 43 Ne duo fraudentur nativis pectora donis,  
 44 ocior in nostros curre, puella, sinus.  
 45 Cypria, sancta tui facias rata vota poetae,  
 46 sive meo tantas excute corde faces.  
 47 Gloria major erit duras fregisse catenas,  
 48 quam vinctum indigne discruciasse procum.

A2\_7 v.1 Scilicet adversa cessant felicia sorte,  
 2 quaeque valent fato saepe jubente ruunt.  
 3 Ah nimis incerto Fortuna volubilis orbe,  
 4 seu das, infesta seu rapis ipsa manu.  
 5 Hunc modo praecipitas, illum modo tollis in altum,  
 6 nec retinet firmas ille nec ille rotas.  
 7 Nunc experta loquor tristis dispendia casus.  
 8 Haec utinam falso vana sub ore forent !  
 9 Non fera tam rigido facerem convicia motu,  
 10 sed venit ad meritam nostra querela deam.  
 11 Ad tua sincero properans sacraria cultu,  
 12 sum ratus arbitrio cuncta subesse tuo,  
 13 et totum aeternis te volvere legibus orbem ;  
 14 et mihi solius numinis instar eras.  
 15 At tu laeva venis sacroque ingrata poetae,  
 16 nec felix aliquid praescia cantat avis.  
 17 Si qua vides, subito turbas mea gaudia casu,  
 18 semper et in nostras invida surgis opes.  
 19 Jam facilis solidum rupisti foedus amoris,  
 20 Livia vesana cum fuit icta manu.  
 21 Heu, quantos gemitus, quantas dolor ille querelas,  
 22 et mala bacchanti quanta furore tulit !  
 23 Composuit placidam simul ac Venus aurea pacem,  
 24 junxit et optato mutua corda toro,  
 25 perfida saevisti solito Fortuna reatu  
 26 atque iterum invitos dividis ecce procos.  
 27 Heu lacrimans patrios adiit mea Livia campos,  
 28 nec potuit rigidae jura movere deae.  
 29 Ipse etiam perago noctes desertus amaras,  
 30 et mea non ullum cura levamen habet.  
 31 Ah pereat primus cari disjunctor amoris,  
 32 et qui mordaci corpore livor inest.  
 33 Hinc male cunctarum nata est discordia rerum,  
 34 hinc odia indignis perniciose viris,  
 35 hinc curae informes, hinc falsa calumnia manat,  
 36 hinc cadit, abrupto foedere, sancta fides.  
 37 At saltem, quoniam longis distamus ab oris,  
 38 corpore quod nequeas, Livia, mente velis !

39 Subdola si nostris tendentur retia votis,  
 40 fac subeat menti Penelopea tuae.  
 41 Dum vir abest multum fato jactatus iniquo,  
 42 haec erat innumeris sollicitata procis.  
 43 Anxia fallebat nocturnae tempora curae  
 44 pendula sollicita tela retexta manu,  
 45 lassaque ponebat frigenti corpora lecto  
 46 factaque tam turpi labe carebat anus.  
 47 Si nimium timeo, parit hunc tua forma timorem ;  
 48 si nihil, hoc probitas irreprehensa facit.  
 49 Cretica nec timuit tendens Menelaus ad arva,  
 50 et tamen est Phrygio rapta Lacaena viro.  
 51 Pulchra vel in sanctis metuenda est femina templis ;  
 52 omnibus est semper forma timenda locis.  
 53 Sed bona cum quaeras sincerae nomina famae,  
 54 perficiet titulos candida vita suos.  
 55 Exploratus amor longoque exercitus usu  
 56 semper habet priscae conscia signa facis.  
 57 At tu, seu nitido, tristi seu nubila vultu,  
 58 iudicio instabilis, diva, ferere meo.

A2\_8 v.1 Immemoris damnas diuturna silentia Fausti,  
 2 et nullum verbis pondus inesse meis.  
 3 Lata repentino vana est sententia motu :  
 4 omnia sunt variis discutienda modis.  
 5 Aspiciamus cunctis geminas mortalibus aures,  
 6 ne rea iudicio pars vacet ulla suo.  
 7 Non erit admissio damnandus crimine vates,  
 8 si totum aequata lance rependis opus.  
 9 Rupta quidem, fateor, junctae sunt foedera dextrae,  
 10 fluxit et exiguo tempore pacta fides.  
 11 Non tamen est nostro lapsus de pectore Nestor,  
 12 nec facit auctorem culpa professa reum.  
 13 Tollere nulla potest longarum meta viarum  
 14 antiquum verae pignus amicitiae.  
 15 Crebrior optata properaret epistola cursu,  
 16 ni foret obstantis justa querela morae.  
 17 Jam mea, quae fuerat toto notissima circo,  
 18 squallida nunc turpi languet avena situ.  
 19 Illa jacet penitus solito deserta favore  
 20 maestaque sopitis vocibus ora silent.  
 21 Sed quoniam levior manifestis cura querelis  
 22 et gravior tacito poena dolore venit,  
 23 accipe pauca quidem, largo sed condita fletu,  
 24 ut quota sit nostri pars tibi nota mali.  
 25 Omnia si passae referam discrimina sortis,  
 26 ultima de gemino tempore gutta fluet.  
 27 Quid memorem indigna religatum compede patrem,  
 28 nostraque nescio quo praedia rapta modo ?  
 29 Quid memorem ut nimio partam sudore Minervam  
 30 inscia ceu stolidum Curia temnat opus,  
 31 nullaque possideat vigilatum praemia carmen  
 32 Musaque vix ipsam pellere docta famem ?  
 33 Fervida suppresso compescitur ira palato,

34 libera ne coeptum lingua sequatur iter.  
 35 Caetera si nostris fierent manifesta libellis,  
 36 in miserum caderet vasta ruina caput.  
 37 Non gereret volucris nigrantes Delphica pennas,  
 38 prodita ni tecto crimine nympa foret.  
 39 Omnia si tacitae servasset credita menti,  
 40 aridus haud mediis Tantalus esset aquis.  
 41 Si decerpta gravi caelasset ab arbore grana,  
 42 non mala funestum traderet omen avis.  
 43 Abdita detexit vetitae qui nomina Romae,  
 44 Ille capistrata morte necatus obit.  
 45 Garrula dentato frenanda est aggere lingua,  
 46 indicat ut vincto firmior ore dea.  
 47 Impia sed numquam parvo contenta reatu  
 48 nunc mea plus justo sors pede colla premit.  
 49 Detulit, heu, certus nostras modo rumor ad aures  
 50 tinctaque letifero tela cruore dedit :  
 51 scilicet immensum generosi pignus amoris  
 52 pressa quod immitti corpora peste tenet,  
 53 obruta Lethaeo claudit quod lumina somno,  
 54 lumina vernantes inter habenda rosas.  
 55 Ah nimium properans stricto Libitina feretro,  
 56 in mea quam saeva commoda falce ruis !  
 57 Num satis est raptus primo Cornicius aevo ?  
 58 Num satis, ammisso Bessarione, queror ?  
 59 Num mea funereo satis est soror abdita saxo ?  
 60 Hei mihi Lesboa doctior arte soror !  
 61 Saevior Hyrcana dempto Mors tigride fetu  
 62 et rigido Hispani durior aere soli,  
 63 debuit ipsa tui violenta potentia juris  
 64 lenior et dominae mitior esse meae.  
 65 Huic nec nostra parem, nec saecula prisca tulerunt :  
 66 tanta sub eximio corpore forma fuit !  
 67 Hac nimium felix radiabat lampade tellus,  
 68 ut vaga cum rutilo Cynthia fratre nitet.  
 69 Heu, heu, composita est facili quae femina limo,  
 70 sola fuit merita digna perire nece.  
 71 Illa etenim vetitos dum carpit ab arbore fetus,  
 72 misit inexpertum sub tua jura genus.  
 73 O saltem misero crudelia fata dedissent,  
 74 ut moriens nostro staret amica sinu !  
 75 Aeterna premerem circumdata lumina nocte,  
 76 exceptusque meo spiritus ore foret,  
 77 nudaque fontano purgarem corpora rore,  
 78 mixtaque cum pingui cinnama thure darem ;  
 79 lata vel arsuro gemerem mea gaudia fulcro,  
 80 et tegeter cineres debita testa pios.  
 81 Et caelata brevi monstrarent carmina busto,  
 82 qualia sinceræ foedera mentis erant :  
 83 "Rara verecundae fuerat cui gratia formae,  
 84 hic jacet ante suum Livia rapta diem".  
 85 Maesta gemit tellus, felix canit undique caelum :  
 86 illud habet totum quo caret ista decus.  
 87 Hoc tantum superest misero solamen amanti,  
 88 ut fluat ex oculis sedula gutta meis,  
 89 semper ut extinctum Clymeneia germina fratrem,



90 pignora ceu Phrygius luget adempta lapis.  
 91 Edita sollicitum rumpent suspiria pectus,  
 92 dum properet vitae meta suprema meae ;  
 93 ac velut ammissa desertus conjuge turtur  
 94 devia, posthabitis urbibus, arva colam,  
 95 et queror in duros sicco sub stipite casus :  
 96 hic status, haec fato sunt loca digna meo.  
 97 Si qua igitur vidui tangit te cura poetae,  
 98 excusata meae tempora sortis habe.  
 99 Aut veniant hilari solantia carmina vultu,  
 100 aut mecum ammissas saepe querare faces.  
 101 Exstinctam superas animam revocabis ad auras,  
 102 si tantum relevet littera missa malum.  
 103 Auxeris undanti si tristia funera luctu,  
 104 non erit optatis gratior hora meis.  
 105 Concidet haec brevior cumulato vita dolore :  
 106 ablata nullus vivit amator hera.

A2\_9 v.1 O jucunda mei suspiria nuntia cordis,  
 2 o larga ex oculis flumina lapsa meis !  
 3 Si qua movet pietas tantum miserata dolorem,  
 4 ista, precor, dominae ferte legenda meae.  
 5 Quem tua jam faustum praesentia fecit, eundem  
 6 nunc absens miserum reddis, amica, procum.  
 7 Pro dape vitali solo depascitur imbre,  
 8 saxaque pro plumis mollibus aspra fovet,  
 9 et versata carent optato corpora somno :  
 10 anxia pro dulci cura quiete venit.  
 11 Deficit infelix vacuum tenuatus in umbram,  
 12 nec nisi semineci est nomen in ore tuum.  
 13 Sit licet obscurum jam jam subiturus Avernum,  
 14 surget ab aspectu protinus ille tuo ;  
 15 oraque si fuerint vestris admota labellis,  
 16 fortior intrabit membra refecta vigor.  
 17 Tu servare potes miserum, tu perdere vatem :  
 18 pendet ab adventu morsque salusque tuo.  
 19 Si velit illa libens rebus succurrere lapsis,  
 20 ad mea praecipiti tecta redite gradu,  
 21 ut redit optatas missus si quando tabellas  
 22 nuntius in lasso portat anhelus equo.  
 23 Vos ego tunc vellem celeres conscendere currus,  
 24 quos puer ignota frugifer arte tulit,  
 25 quosve habuit fugiens volucres Medea dracones,  
 26 dum furit in proprium turba cruenta patrem,  
 27 rumpere seu liquidum velocibus aera pennis,  
 28 nuntius aethereo quas Jove natus habet,  
 29 Daedalus aut quibus est caelo delatus ab alto,  
 30 Cretensis fugeret cum fera regna ducis.  
 31 Sit licet et cursus vento perniciosior omni,  
 32 visa erit una suo longior hora die.  
 33 Si tristem avertat, visa ceu Gorgone, vultum,  
 34 tunc mora propositum longa retardet iter.  
 35 Omina concipiam venturae incerta puellae,  
 36 et referet varios spesque metusque modos.

37 Sed, reor, illa piis non adversata querelis,  
 38 non dabit in celeres verba caduca Notos.  
 39 Non hanc Caucasea genuit sub rupe leaena,  
 40 ubera nec saevae plena dedere ferae.  
 41 Lenior esse solet damis quoque mitior ipsis ;  
 42 haec alit, haec vitam spes fovet una meam.  
 43 Aptā sed orandis discernite tempora rebus :  
 44 non semper faciles cernimus esse deos.  
 45 Non nisi cautus init tranquillū nauta profundum,  
 46 ut peragat cursus tuta carina suos.  
 47 Heu, heu, plena damus vario mandata timore :  
 48 Ipse vel in media pace timetur Amor !  
 49 Vos moneat series notorum immensa dolorum :  
 50 doctior experto est quisque cavere malo.

A2\_10 v.1 Vana igitur superest pellendi cura furoris,  
 2 cum bene radices egerit ille suas.  
 3 Vana redundarunt Peligni iussa poetae :  
 4 sanantur nullo vulnera tanta modo.  
 5 Scilicet ipsa tenet semper sua signa cicatrix,  
 6 cunctaque perpetuo stigmatē corda notat.  
 7 En mea quo cessent rodentes pectora curae,  
 8 experta est vario quaelibet aura modo.  
 9 Aptā Cupidineis vitavimus otia telis,  
 10 et si quid Paphiae gratius exstat opi.  
 11 Scripsimus infamis notum modo crimen amicae,  
 12 ipsaque stultitiae damna pudenda meae,  
 13 et modo quanta dedit falsae perjuriae linguae,  
 14 cum mea nescio quis vota teneret Arabs,  
 15 quam fuerit levior foliisque incertior ipsis  
 16 quaeque aliis tulerim non patiēda viris.  
 17 Hortulus irriguas sumpsit modo fertilis undas,  
 18 insita sunt nostra lectaque poma manu.  
 19 Nunc ego tensa tuli frondosis retia silvis,  
 20 nunc valida fossus cuspide cervus obit.  
 21 Aut fuit hamata deceptus harundine piscis  
 22 saepius aut agili lympha natata manu,  
 23 invitūque fui magicas accinctus ad artes,  
 24 ferret ut auxilium conscia saga pium.  
 25 Et demum ut possem tantos frenare dolores,  
 26 sunt mea prae nimio corda sepulta mero ;  
 27 parva licet placeat sumpti mensura Lyaei,  
 28 plurima nec stomacho grata sit esca meo,  
 29 ut levet infecto regnantem in corpore morbum,  
 30 confugit ad quamvis pauper amator opem.  
 31 Pellere nulla meum potuit medicina furorē,  
 32 nec fuit ex ulla parte fugatus amor.  
 33 Cum mala succurrit tantae jactura puellae,  
 34 totus ut Ogygio numine motus agor.  
 35 Auctus et attractis nimium furit aestus habenis,  
 36 ut sonipes rigido pressior ore furit.  
 37 Ipse etiam duro succumbere nescia casu,  
 38 urgenti ratio sub pede victa jacet.  
 39 Ignis et invito caelatus proditur ore :

40           nulla sub ingenuo pectore flamma latet.  
 41    Ah genus infelix, nec tutum nomen amantum,  
 42           seu veniat lenis, seu ferus iste puer.  
 43    Nam si mansuetus placida deus annuat aure,  
 44           non caret assiduus suspicione timor.  
 45    Plura etiam inducit tota suspiria nocte,  
 46           si fuerit tristi fronte rebellis Amor.  
 47    Mutua sed geminos si cura ligarit amantes,  
 48           optatasque vetent invida fata vices,  
 49    hac minor est Siculi, quamvis fera, poena iuveni  
 50           et quam Tartarea sentit adulter ave.  
 51    Tam magnum ostendunt testantia signa dolorem,  
 52           quorum purpureo mora cruore rubent.  
 53    Sed quoniam haec omnes intrent vada caeca necesse est,  
 54           est aliquid placida semper amante frui.  
 55    Tam bona si nostrae spiraverit aura carinae,  
 56           naufraga quae fuerant corpora, tuta fluent.  
 57    Acta per adversas si qua est fortuna procellas,  
 58           illa minus, domina velificante, nocet.

A2\_11    v.1    Ut reus exspectat duro sub carcere vinctus  
           2           seu bona supplicii, seu mala verba sui,  
           3           donec certa latet justae sententia lancis,  
           4           cogitat eventus deteriora sui,  
           5           sic incerta meae timeo responsa puellae  
           6           et labat ambiguo spes agitata metu.  
           7           Non solet esse pio constans in amore puella,  
           8           et levis absenti corde recedit Amor.  
           9           Spumanti Venus orta salo, cui Julia proles  
 10           debet ab Aenea nobilitata tuo,  
 11           si meus a teneris animus tibi serviit annis,  
 12           et fuit ante tuos secta columba focus,  
 13           si Diomedei damno fera vulnera teli,  
 14           prodita si vestri dulcia furta tori,  
 15           ut, dea, sis praesens celeres delapsa per auras,  
 16           ad sua Laedaeus frena citetur olor,  
 17           vel te sacra Paphos teneat vel Sicanis ora,  
 18           vel tua frondosis alta Cythera jugis.  
 19           Ut solvis gelido concretas frigore glebas,  
 20           sic solvas dominae pectora dura meae.  
 21           Cum foret Hippomenes meta defectus in ipsa,  
 22           auxilio victa est Hippodamia tuo.  
 23           Te duce fortis erat visa Leander amica,  
 24           brachia cum mediis lassa moveret aquis ;  
 25           ille etiam tumidis numquam foret obrutus undis,  
 26           invida sed caecam fata dedere viam.  
 27           Nec minus ipsa micas reliquis clementior astris,  
 28           o semper nitido stella serena polo !  
 29           Tu claram obscuris lucem mortalibus affers,  
 30           fessaque cum grata corpora nocte levas.  
 31           Tu genus omne creas, totus quod possidet orbis,  
 32           et concepta tuo quaeque vigore fluunt.  
 33           Ipsa beas omnes tali sub sidere natos  
 34           mitis et ex omni parte secunda venis.

35 Major adhuc superest nostri fiducia voti,  
 36 quod dabitur fato dexteriore frui.  
 37 Cum manus afferret peraratas fida tabellas,  
 38 fulgebas facili juncta parente Venus.  
 39 Majorem annexi semper dabis ambo favorem :  
 40 unus habet gratam, qua caret alter, opem.  
 41 Sed quid concusso crepuerunt cardine postes ?  
 42 An bona festinus nuntius acta refert ?  
 43 Sic est, ipsa coit circum mea viscera sanguis ;  
 44 certa vel attonito gaudia corde pavent ;  
 45 gaudia quae veniunt dubio sperata timore,  
 46 sunt ea nescio quo falsa putata modo.  
 47 Territa sed postquam subitus pavor ossa reliquit,  
 48 tunc magis affectu res juvat illa suo.  
 49 Quis negat humanis fulgentia sortibus astra ?  
 50 Quilibet ex ipso sidere fluxus inest.

## LIBER TERTIUS

A3\_1 v.1 Saepius in varias tracta est sententia partes  
 2 an tua Faustinum tecta subiret opus.  
 3 Ardua terruerant manifestae pondera laudis :  
 4 non facit ad vastum parva carina fretum.  
 5 Nam tua tam magnis cumulata est gloria rebus,  
 6 ut foret ex ista mole gravatus Atlas.  
 7 Ecquis inest miles rigidis expertior armis,  
 8 ecquis et immenso justior orbe patet ?  
 9 Quis melius gemini numerosa volumina juris,  
 10 gesta quis antiqui strenua noscit avi ?  
 11 Largius Aonio pota est cui flumine lympa,  
 12 cui fluit Hyblaeo dulcius ore melos ?  
 13 Cui fuit et celsae tanta est sollertia mentis ?  
 14 Plura quis ingenio concipit alta tuo ?  
 15 Haec licet Andino veniant referenda cothurno  
 16 nec mea materiae Musa sit apta tuae,  
 17 solvo tamen sterili fragilem de litore puppim  
 18 inscius an portum caecave saxa petam.  
 19 Tu dare turbati placidas potes aequoris undas,  
 20 tu mea jam tuto naufraga membra loco.  
 21 Sed male nota regas tentantem caerula navim  
 22 aspriquesque meis, aura secunda, viis,  
 23 nostrarque praecipiti celerantia lintea cursu  
 24 excipias facili, magne Guielme, sinu,  
 25 ut fruar optato fortis munimine rupis,  
 26 qua statio nulla tutior exstat aqua,  
 27 quam peterem geminae per inhospita litora Syrtis,  
 28 turgida vesani cum maris unda foret.  
 29 Si cadat ut Phaeton magnis temerarius ausis,  
 30 grandibus ex animis quisque probandus erit.

A3\_2 v.1 Frigore nunc viridis fugiente renascitur annus  
 2 pictaque purpureo flore renidet humus.  
 3 Nunc micat Eoa redimitus Pleiade Taurus  
 4 cedit et invitus sole tegente Canis.  
 5 Nunc renovat Zephyrus veteres resolutus amores  
 6 spirantique tepens educat ore solum.  
 7 Nunc strepit arboreis latitans sub frondibus ales  
 8 silvaque densatis frondet opaca comis.  
 9 Omnis et accepto nunc parturit herba vigore  
 10 inque novo saliens gramine ludit ovis.  
 11 Nunc fluviis tremula contextus harundine gestit  
 12 laetus et in vitreis fontibus exstat Hylas.  
 13 Jamque sub umbroso deprensas colle Napaeas  
 14 turba fovet Satyri luxuriosa dei.  
 15 Omnia quod vireant totis ridentia campis,  
 16 haec facit adventu Livia nostra suo.  
 17 Sedula jam valeant urbanae jurgia turbae  
 18 ipsaque clamosi garrula verba fori ;  
 19 turpia jam valeant infamis regnatyranni,  
 20 sol quibus adversos jungit anhelus equos,  
 21 saeva Thyesteae veluti convivium mensae  
 22 aufugiens vultus condidit ille suos.  
 23 Ipse ego securus turbaque remotus ab omni  
 24 rura colam studiis commodiora meis.  
 25 Non rumpet media somnum mihi nocte profundum  
 26 janua furaci praecipitata manu.  
 27 Non ferus invadet stricto sicarius ense,  
 28 nec mea scurrilis transiget ora manus.  
 29 Decipiet nullus fidum delator amicum,  
 30 histrio nec nostras poscet avarus opes.  
 31 Captator fumos Gnato non sparget inanes,  
 32 credula quem foveat simplicis aula ducis.  
 33 Anxius astabit plena non mango catasta,  
 34 infanda teneros vendat ut arte mares.  
 35 Lurida non metuent suspectae toxica mensae,  
 36 fama nullius plena cruoris erit.  
 37 Non pressam assiduos urbem diffundere questus,  
 38 nec cernent oculi multa silenda mei.  
 39 Sed modo lacte Pales niveo madefacta juvabit,  
 40 ipsaque lustrabo cultibus arva piis,  
 41 et modo lentus ero viridique supinus in herba,  
 42 dum crepitans leni murmure curret aqua ;  
 43 inque sinus nostros collapsa recumbet amica,  
 44 haec erit et votis obsequiosa meis.  
 45 Dulcia cum dulci miscebimus omnia risu  
 46 fortis et alternas solvet uterque vices,  
 47 Tempus ut ammissum reparet properata voluptas,  
 48 ne cadat ex toto segnis ut ante Venus.  
 49 Et suscepta canam nemorali gaudia versu  
 50 silvestrique novus voce poeta ferar.  
 51 Festaque suspendam volucris certamina teli,  
 52 nudabitque suos uncta palestra viros.  
 53 Maturo incidam flaventes tempore messes

54 et dabo frugiferae spicea sarta deae.  
 55 Sordidus et mecum tinget sua crura Lyaeus,  
 56 dum nova veloci sub pede musta fluent.  
 57 Debita committam sulcatis semina glebis  
 58 junctaque cum teneris vitibus ulmus erit.  
 59 Et cernam ex alta pendentes rupe capellas,  
 60 ne sint montanis praeda cruenta lupis.  
 61 Et graciles molli fiscellas vimine texam  
 62 pressus et angusto caseus orbe fluet.  
 63 Aspiciam hiberno plenos cum pulvere campos,  
 64 ante meum fundam libera vina focum ;  
 65 et longam vario noctem sermone trahemus,  
 66 donec erunt somno lumina victa gravi.  
 67 Taedia sic fugiam gentis male passa togatae,  
 68 sic ducam agresti tempora tuta loco.  
 69 Rusticitas simplex et nescia fallere gaudet,  
 70 fraudibus expulsis, pace silente frui.  
 71 Et gravis in patrios secessit Tullius agros,  
 72 cum spoliata suo Roma decore foret.  
 73 Ipse etiam Aemilio spatiatus rure canebas  
 74 impatiens vanae, Marce poeta, togae.  
 75 Aureus et priscis vixit Saturnus in agris  
 76 ante cruentati tristia bella Jovis.  
 77 Nullus in agricola pudor est versarier arte,  
 78 pustula cum rigido fracta bidente dolet.  
 79 Et pater augustae fundator Romulus Urbis  
 80 laurigero solidam vomere findit humum,  
 81 duraque vertebant reliqui sua praedia reges,  
 82 nec quacumque minor laude colonus erat.  
 83 Sola etenim pariunt mortales rura per usus  
 84 saepius et magnos illa tulere viros.  
 85 Gordius e silvis Phrygiam delatus in urbem  
 86 gessit honorata regia sceptrum manu.  
 87 Paucula Torquatus cum jugera nudus araret,  
 88 dictator patrio factus ab ore fuit.  
 89 Increpitans tauros Curius stimulabat inertes,  
 90 annua cum populo scaeptra vocante tulit.  
 91 Quid data Romano cognomina semine dicam,  
 92 quid pastoricia caetera gesta manu ?  
 93 Cum fuerint alio sedati more tumultus,  
 94 urbani repetam moenia grata soli.  
 95 Morbida vicinae laedunt contagia pestis  
 96 tactaque veloci stuppa vapore ruit.

A3\_3 v.1 Exspectata diu venerunt tempora tandem,  
 2 tempora praecipuos inter habenda dies.  
 3 Ipse vel in mediis speret bene naufragus undis ;  
 4 post atras hyemes aequora tuta silent.  
 5 Quercus erat quondam patulis densissima ramis  
 6 quam prope conspicuas rivus agebat aquas,  
 7 quam nemus ambibat magnis venatibus aptum :  
 8 illa sed aereo vertice major erat.  
 9 Non aliam Epirus quercum silvosa ferebat,  
 10 praescia cum verax signa columba dabat.

11 Sub tali Aeneas Latio defessus in agro  
 12 viderat enixam pignora multa suem ;  
 13 sub tali acceptum est condendi Tiburis omen ;  
 14 talis et antiquos glande fovebat avos.  
 15 Hic aderam exspectans venturam stratus amicam ;  
 16 plena tamen pavidi corda timoris erant.  
 17 Longa nimis cupidos semper mora vexat amantes,  
 18 tardaue sollicitos parturit hora metus.  
 19 Haerebant tacito nitidi sub pectore vultus  
 20 membraque non ipsis inferiora deis.  
 21 Brachia fingebam niveo circumdata collo  
 22 illius et labris juncta labella meis.  
 23 Fingebam suavi tenues cum murmure voces  
 24 atque agili gratos mobilitate jocos ;  
 25 condere lascivo tractata virilia cunno  
 26 et solito tenerum prendere more femur.  
 27 Irrita dum toto captarem gaudia sensu,  
 28 ecce tument nervi pondera tenta mei.  
 29 Talis erat media distentus nocte Priapus,  
 30 cum rudis insano, turpis aselle, sono.  
 31 Interea, moto tanta prurigine membro,  
 32 opportuna hilari Livia fronte venit.  
 33 Non illam Aeaeo compulsam carmine traxi :  
 34 hoc bene polliciti pignus amoris erat.  
 35 Huic bene tinctus erat Phoebæ lampade vultus ;  
 36 candida nam mixto forma rubore decet.  
 37 Sic sectata rubet fugientes Delia cervos ;  
 38 sic sunt puniceis lilia mixta rosis.  
 39 O qui complexus, quæ basia, quanta voluptas,  
 40 gramineo quotiens vena soluta toro est !  
 41 Abdita spectabat nemorali nympha rubeto  
 42 et furto invidit, proh dolor, illa meo.  
 43 Mutua sed duro renovavi proelia cornu,  
 44 et transacta meae costa gemebat heræ,  
 45 donec praecipitans vinctos nox solvit amantes,  
 46 nox ingrata quidem, sed tamen apta fuit.

A3\_4 v.1 O bene caelesti jam Panthea semine nata,  
 2 o bene de supero Panthea missa polo !  
 3 Tu licet humanum, ne dedigneris amantem :  
 4 torruit et magnas haec quoque flamma deas.  
 5 Ipsa torum furtim linguens Aurora jugalem  
 6 ibat ad Actæi conscia furta proci.  
 7 Saepe Venus tenerum complexa fovebat Adonim  
 8 et latus insertum dulce peregit opus.  
 9 Saepius et tacito delapsa est Cynthia caelo  
 10 et petiit juvenis Latmia saxa sui.  
 11 Inde ubi sopitis fuerant data basia membris,  
 12 laetior assuetos illa regebat equos.  
 13 Quo majora suos exornant stemmata vultus,  
 14 hoc magis aligero subdita quæque deo est.  
 15 At mea, si poscis quæ sit sententia, dicam :  
 16 "Pulchrior iste tuas, Panthea, vincit opes".  
 17 Huic dedit ecce libens cultam Cyllenius artem,

18 huic datus ex ipsa Pallade sensus inest ;  
 19 hunc etiam Idalio puerum Venus aurea colle  
 20 atque triplex aluit Gratia juncta comes.  
 21 Exuit humano concretam in corpore labem  
 22 et plenum aethereo munus honore dedit.  
 23 Annua qui Paphiae renovat monumenta querelae  
 24 et qui purpureo sanguine tinctus hiat,  
 25 raptus et Iliacis nemorosae in vallibus Idae,  
 26 misceat ut magno pocula grata Jovi,  
 27 et qui funerea tristes notat arbore casus  
 28 quique gerit Phrygiis membra resecta modis,  
 29 et miserum vitrea qui se male vidit in unda  
 30 atque avida raptus Naiade cedit Hylas.  
 31 Aspice sidereo radiantia lumina vultu  
 32 labraque purpureis invidiosa rosis.  
 33 Aspice composito candentes ordine dentes  
 34 cunctaque vincentes Punica mala genas.  
 35 Nonne vides sparsos per eburnea colla capillos ?  
 36 Nonne sonant ipsum verba relata Jovem ?  
 37 Quid referam Baccho dignas vel Apolline palmas  
 38 et quae tam pulchro corpore membra nitent ?  
 39 Sola pharetrati si signa Cupidinis addas,  
 40 hic erit ex omni parte sequendus Amor.  
 41 Sensit ut hoc natus maternas tristis ad oras,  
 42 ocius insano turbine fecit iter.  
 43 Quod sibi collatus toto foret alter in orbe,  
 44 indoluit roseas, imbre rigante, genas.  
 45 Cui Venus arridens : "Puer o dulcissime" dixit,  
 46 "non sunt haec animo sic ineunda gravi.  
 47 Sola ego te peperit, genitrix pulcherrima rerum,  
 48 ne foret aethereo pulchrior axe deus.  
 49 Quilibet accepta pendent ab origine nati  
 50 atque satum magno quemque parente juvat.  
 51 Admirata tuam venerantur numina formam.  
 52 Quis putet ? Invicto tu Jove major ades.  
 53 Ipsa etiam tellus aliquem poscebat alumnum,  
 54 qui fieret formae publica fama suae.  
 55 Rara placent semper generosae corpora menti,  
 56 nec nisi de raris fama petenda venit.  
 57 Ut foret humanae mea nota potentia genti,  
 58 omnibus ipsa fui viribus usa meis.  
 59 Affeci eximiis Brunorum dotibus aptum,  
 60 quem genuit Juli terra beata Fori.  
 61 Quare agit emeritas tanto pro munere grates,  
 62 nostraque mortalis numina quisque colit.  
 63 Hunc tamen insanis subjectum ardoribus egi,  
 64 ne gereres humeris spicula vana tuis.  
 65 Omnia namque tuae cedant cum robora dextrae,  
 66 sic decet humanas vincat ut illa manus."  
 67 His dictis placatus Amor sua tela resumpsit,  
 68 et juvenem insolito torsit amore rudem.  
 69 Unde nimis caeco miseris fovet igne medullas  
 70 et medio latum pectore vulnus hiat.  
 71 Te cupit hic solam, solam hic te, Panthea, clamat,  
 72 hic soli addictus dat tibi quicquid habet.  
 73 Cum sua vel totum quivis se dedat amator,



74           ingenui est gratas cordis inire vices.

A3\_5    v.1    Forte Cytheriaco stabat Venus alma sub antro  
           2            texebatque sua myrthea sarta manu.  
           3    Lenibat varia ferventem mente laborem :  
           4            nam labor est aliqua decipiendus ope.  
           5    Antiquum Iliaci furtum repetebat amantis  
           6            et subiit Siculo vertice natus Eryx ;  
           7    turpiter ut visa est tacito deprensa marito,  
           8            utque fero jacuit strictus Adonis apro ;  
           9    rettulit ut Phrygio primam sub iudice palmam,  
 10            utque sub aequoreo condita pisce fuit.  
 11    Talia dum fuerant tacita meditata Dione,  
 12            ivit ad attonitam nostra querela deam.  
 13    Ut mea letali languentia corpora morbo  
 14            audiit, incoeptum maesta remisit opus.  
 15    Vectaque torquatis subito volat illa columbis  
 16            et petiit Clario regna dicata deo.  
 17    Illic certa dabat dubiis oracula rebus,  
 18            turba nec in patriam cassa redibat humum.  
 19    Desiluit celeri simul ac Venus anxia curru,  
 20            territus exanguis palluit ore deus.  
 21    Haeserat et trepidus prisci non immemor ignis,  
 22            ne foret expertae plaga novata facis.  
 23    Cui placido Cytherea prius sic ore locuta est,  
 24            deque oculis cecidit gutta decora piis :  
 25    "Excute semineci praelatum fronte timorem :  
 26            nulla tuum figet nostra sagitta latus.  
 27    Si miser Haemonios doluisti, Phoebe, per agros,  
 28            cum fuit in virides versa puella comas,  
 29    non odiosa fui tantorum causa malorum,  
 30            tota sed in natum est culpa ferenda meum.  
 31    Hic etiam in nostros saevit puer improbus artus  
 32            telaque materno sanguine tinctor gerit.  
 33    Fatidicum si nulla deum mendacia fallunt,  
 34            irrita ne Veneris dicta precantis habe !  
 35    Felsinea relevas Faustum regione jacentem,  
 36            quem rapit infesta mors violenta manu.  
 37    Infelix vacuas si vita recedat in auras,  
 38            nudus et Elysias si petat ille domos,  
 39    quis molles elegos, forti quis regia cantu  
 40            gesta, quis alta meum tollet in astra decus ?  
 41    Ingenio comperta tuo medicina juvabit  
 42            et feret optatae quamque salutis opem.  
 43    Virbius arte tua Stygiis revocatus ab undis  
 44            signa salutiferae monstrat aperta viae.  
 45    Unica cum sacris faveas tutela poetis,  
 46            annue communi, Phoebe rogate, viro."  
 47    Cynthius indoluit sortem miseratus iniquam  
 48            et celer ante meum constitit ille torum ;  
 49    confectumque dedit varios medicamen in usus  
 50            nostraque sunt gravibus membra levata malis.  
 51    Mox deus in tenuem fugiens evanuit auram  
 52            et manifesta suae signa reliquit opis.

53 Solvit ut accepto meritas pro munere grates,  
 54 in patrias rediit Cypria laeta domos.  
 55 Lavit et aethereo defessum nectare corpus  
 56 atque intermissum continuavit opus.

A3\_6 v.1 Pomponi, altiloquos inter venerande poetas,  
 2 Pomponi, aetatis gloria prima tuae,  
 3 inscia verarum saperet si Curia rerum,  
 4 tam magnum coleret tempus in omne virum.  
 5 Illa sed indignum merito te fraudat honore,  
 6 et cadit ingrata vanus in Urbe labor.  
 7 Heu medio prostrata jacet sub fornice Musa  
 8 cogitur et turpi delituisse situ.  
 9 Hi sunt hi mores, haec nostri tempora saeculi,  
 10 haec sunt ingeniis praemia digna novis.  
 11 Languida corrumpunt ignavas otia mentes,  
 12 et qui tam molli luxus in Urbe viget.  
 13 Hoc parit ignari turpissima praesidis aula :  
 14 destruit infectum caetera membra caput.  
 15 Ipsa olim miseris consumpsit inertia gentes  
 16 et nullum est, quod non struxerit illa, nefas.  
 17 Haec docuit niveo succumbere Gnosida tauro ;  
 18 te dedit haec rapidis, Sardanapale, rogis.  
 19 Haec Agamemnonio temerata cubilia tinxit  
 20 sanguine, Sidonium fregit et ista ducem.  
 21 Estimet ergo rudis non notum Curia vatem ?  
 22 Illa igitur sapiens stulta probabit opus ?  
 23 Approbet haec scurras, lenones, scorta, cinaedos ;  
 24 approbet haec solito quodlibet ore nefas.  
 25 Omnia laetantur parili commercia coetu,  
 26 demptaque de spurca rana palude cadit.  
 27 Quam bene prisca suos laudarunt saecula vates,  
 28 dum gratum aeterni nomen honoris erat !  
 29 At postquam admisso contempta est crimine fama,  
 30 squallidus heu vili sorde poeta jacet.  
 31 Haec tamen irrides nostri ludibria saeculi :  
 32 non facit ad magnos vulgus inane viros.  
 33 Nulla potest fortuna, licet contraria, quemque  
 34 vincere, qui stabili se tueatur ope.  
 35 Inscia formident adversam pectora sortem,  
 36 et quorum obscuro est fama sepulta loco.  
 37 At tua cum nullo virtus cadat obruta casu,  
 38 aspicit ostensas fors inimica nates.  
 39 Ut pedibus calcata tuis Fortuna rubescat,  
 40 fungitur officio mens generosa suo.  
 41 Perdita tu Latiae renovas primordia linguae :  
 42 quemque Palaemonia suscipis arte rudem.  
 43 Tu veterum pandis latebrosa aenigmata vatium  
 44 scriptaque non notis verba soluta modis.  
 45 Alta Maroneo tu gesta reponis hiatu,  
 46 nec minus historica dicta probata fide.  
 47 Flaventes ceu multa coit formica per agros,  
 48 collocet ut tectis grana novella suis,  
 49 sic numerosa fluit sitientis turba juventae,

50 ut tua vesanam detrahat unda sitim.  
 51 Optatis abeunt expleti fluctibus omnes,  
 52 deque tuo manat fonte perennis aqua.  
 53 Unde fit extremis rapias tua nomina flammis,  
 54 illaque sint nulla deperitura die.  
 55 Quam tua sors melior, Crasso quam ditior ipso :  
 56 ditior est aliis quem sua Musa beat.  
 57 Ipse ego recta sequens tanti vestigia regis  
 58 servili excutiam subdita colla jugo.  
 59 Non bene difficili paret sacer incola freno,  
 60 non est imperio Musa premenda gravi.  
 61 Sed quia mens audax vastos concepit hiatus  
 62 et verae intactum relligionis opus,  
 63 Livia praeludet numeris levioribus apta,  
 64 dum meus ingenti pulvere sudet equus.  
 65 Ipse prius volucris citaraedus pectine tangit  
 66 et liquidam admota temperat aure chelym ;  
 67 inde ubi cuncta videt concordia fila canore,  
 68 carmina concinnis vocibus apta sonat.  
 69 Sed, licet exiguum, nostri cape munus agelli,  
 70 gratus et aequoreas rivulus intrat aquas.  
 71 Fertilis interdum sterili stat messis in agro  
 72 et, modo quae fuerat credita spina, rosa est.

A3\_7 v.1 Dicebas sanctum fracturam foedus amicam  
 2 saevaque cum domina bella futura mea.  
 3 Dixit idem miserans caecos Philomusus amantes,  
 4 vestra sed in Zephyros verba caduca dabam.  
 5 Prospera credebam stabili dare linthea vento,  
 6 illa nec in tutis obruitura locis.  
 7 Credulus est primo juvenis sub amore, sed illum  
 8 decipit occulto Sorsque Venusque dolo.  
 9 Irrita nunc cecidit tanti fiducia cordis ;  
 10 non exspectata captus ab arte fui.  
 11 Quam tua Cumaeam superant oracula vatem,  
 12 quam socius Lycio verior ore fuit !  
 13 En ea, jam cupido tenera mihi blandior agna,  
 14 doctaque ceu nostros passer inire sinus,  
 15 heu, heu desertum torvis me spectat ocellis,  
 16 jactat et in miserum fortia verba caput.  
 17 Attamen ipse sequor rigidam studiosus amicam,  
 18 ut dominum sequitur blanda catella suum.  
 19 Quoque magis tacito pronum videt ore clientem,  
 20 illa magis tumida mente superba venit.  
 21 Captivo insignem ducit de vate triumphum :  
 22 vinctus ut in tota bubalus urbe trahor.  
 23 Ut jocus illudor digito monstratus ab omni :  
 24 tam ruit insano caecus amore furor.  
 25 Haec ego perferrem Mario constantior ipso,  
 26 sed mea me coram gaudia tacta movent.  
 27 Quam malle Themyrae, Siculi quam fata Cyclopi :  
 28 ante oculos gravius vulnera facta premunt.  
 29 Hinc fuit Herculeo percussus vulnere Nessus,  
 30 hinc subita populus caede biformis obit.

31 Tunc jecur accensam tumefactum fervet in iram,  
 32 tunc fera vesana trudor in arma manu.  
 33 Ah nimis icta gemit valido mea Livia pugno,  
 34 oblitus et sparso sanguine nasus inest.  
 35 Haec utinam arsisset subjectis dextera flammis,  
 36 ut fuit errantis jam manus usta viri.  
 37 Nam simulac paulum sese gravis ira remisit  
 38 asperior solito poena dolore venit.  
 39 Demissa peterem veniam cervice pudentem,  
 40 ni foret imperio saevior illa dato.  
 41 Vellem ego, nec possum tantos sufferre dolores ;  
 42 hinc precor erratis parcat ut illa meis.  
 43 Altera vel medio quamvis sit fornice Thais,  
 44 infectam nulla Pallada labe reor.  
 45 Quisquis amat, propriam putet esse quod optat amicam,  
 46 ni velit impatiens saepius esse miser.

A3\_8 v.1 Liber, io, dura Saturnus compede clamat ;  
 2 ebria vinosus festa December habet.  
 3 Hinc procul omnis eat rigidae censura senectae,  
 4 Bacchica rugosa pocula fronte carent.  
 5 Lautae coronatis fiant convivium mensis  
 6 et titubent nimio tempora fusa mero.  
 7 Sumite certatim vetulo spumantia Baccho  
 8 cymbia : quocumque est palma tenenda loco.  
 9 Perniciosa merum nec temperet unda liquorem,  
 10 ne pereant Chio prompta Falerna cado.  
 11 Ipse etiam sumpsit magno cum Caesare Roma  
 12 ambrosias solito largius ore dapes.  
 13 Horrida ne laedant hibernae frigora brumae,  
 14 grandia flammigeris addite ligna focis.  
 15 Et circum nulla gaudentes lege choreas  
 16 incitet ad Phrygios tibia pulsa sonos.  
 17 Ardua vesanas ad sidera tollite voces ;  
 18 mens eat innumeris exhilarata jocis.  
 19 Dicite : "Io, felix multos Lodovicus in annos  
 20 vivat et assiduo totus in ore sonet."  
 21 Dicite : "Io, faustos quibus hoc sub principe nasci  
 22 contigit ac tanto numine posse frui."  
 23 Inde ubi lux fuerit multo consumpta Lyaeo,  
 24 candida jucundae tempora noctis eant.  
 25 Dulcia multiplicet fundens carchesia Bacchus,  
 26 quae bibit Icareae turba cruenta nece ;  
 27 quae sumpsit pastor Siculo Polyphemus in antro,  
 28 cui sunt Dulichia lumina fossa manu ;  
 29 quae bonus Aeneae profugo donavit Acestes,  
 30 quae tenet aprico colle Falernus ager.  
 31 Atque agitet nimia doctas prurigine clunes,  
 32 mollis et assiduum rumpat amica latus.  
 33 Mutua diverso revocentur gaudia lusu,  
 34 nec vacet instanti fessa labore Venus.  
 35 Et demum exhaustos mollis sopor opprimat artus,  
 36 robur et ammissum mensa diurna ferat.  
 37 Sic poscit licitis apta est quae lusibus aetas,

38 sic utenda suo tempora more jubent.  
 39 Rideat ignari temeraria murmura vulgi,  
 40 qui sua posthabito vota pudore facit ;  
 41 nec metuat rapidis agitata tonitrua ventis :  
 42 non habet ultores turba jocosa deos.  
 43 Si fera mutato sineret Fortuna tenore,  
 44 non essem monitis devius ipse meis.  
 45 Impia sed vento spirent cum fata sinistro,  
 46 non nisi digna sua tempora sorte traham.  
 47 Nullus in adversos tendit sua brachia fluctus :  
 48 debet enim duris cedere quisque deis.  
 49 Vos, quibus arridet vultu Fortuna sereno,  
 50 tam bona veloci prendite dona manu !  
 51 Non reditura volant fugientis gaudia vitae :  
 52 qui sapit, ignavos non sinit ire dies.

A3\_9

v.1 I, vome nunc animi fortissima gesta ferocis ;  
 2 i, jace constantis pectora firma viri !  
 3 Quam bene tanta suis respondent verba triumphis ;  
 4 exemplum invicti non leve cordis ades.  
 5 Jam modo laurigerum currus te vectat eburnus  
 6 Romaque spectantem vix capit alta chorum.  
 7 Ecce trahis valido superatum Marte Syphacem  
 8 ad Capitolini templa vetusta Jovis.  
 9 Tu Fabiam stragem, tu Parthica damna rependis  
 10 atque Jugurthinae bella sinistra manus.  
 11 Gignit et icta tuo subitas pede terra cohortes,  
 12 ut Pompeianae vox rata fiat opis.  
 13 Quis non magnanimi referat nova facta poetae,  
 14 quis non auspicii tam bona signa tui ?  
 15 Dic tamen, o Caesar, duro suffulte metallo,  
 16 dic, precor, immota mente, severe Cato :  
 17 cur solo deserta die ploratur amica  
 18 et stantem invito vix pede scandis equum ?  
 19 Cum sint magnarum tractanda negotia rerum,  
 20 cur venit in mentem sola puella tuam ?  
 21 Lumine cur crebro lacrimatam respicis urbem,  
 22 cur tua singultu verba sequente cadunt ?  
 23 Quid si manantem septena per ostia Nilum  
 24 et peteres gelidae regna suprema plagae ?  
 25 Ubera dejicerent largum tunc lumina flumen,  
 26 illud et Ioniis latius esset aquis.  
 27 Saepius ex minimis nata est praesumptio rebus,  
 28 ut ventura suae cognita sortis eant.  
 29 Sic jacet Hectoreum robur fastusque superbi,  
 30 sic lepus ex saeva tigride factus abis ?  
 31 Quam cito magnifici mutata est forma triumphii ;  
 32 fallitur ingenio pectus inane suo.  
 33 An nescis, demens, formosam, Fauste, puellam  
 34 certa vel in dominos jura tenere deos ?  
 35 Sis licet Aeacides rigidis metuendus in armis,  
 36 si velit acer Amor, Thraso pusillus eris.

A3\_10 v.1 Quid referam miseris contraria fata poetis ?  
 2 Non latet occulto plaga cruenta sinu.  
 3 Proditae sunt Graiae Poeantia vulnera genti :  
 4 si qua patent nullo teste probanda manent.  
 5 Scilicet infelix primaevi carminis auctor  
 6 Strymonia caesus concidit ille nuru.  
 7 Maeonides quamvis alto foret inclytus oestro,  
 8 ille tamen gemino lumine cassus erat.  
 9 Et sua cum sacro cecidit nova nupta marito,  
 10 qua fuerat prima nocte ligatus hymen.  
 11 Turpiter occisus rabidi compertor iambi  
 12 et jacuit dura strictus Aristo fame.  
 13 Comicus est liquidis vates submersus in undis  
 14 et tragicum rapuit turba cruenta canum.  
 15 Delapsa ex aquila celeres testudo per auras  
 16 heu cerebrum illisit, Aeschyle calve, tuum  
 17 sunt nimis obscuri transfixa Lycophronis exta ;  
 18 Sicanius pressa fauce poeta perit.  
 19 Teia Musa dolet mortemque incusat acerbam  
 20 sumptaque thyrsigeri parvula grana dei.  
 21 Heu summis infensa viris cogebat egestas  
 22 ut traheres scabram, Plaute diserte, molam.  
 23 Pinguia cum culto cecinit qui pascua rure  
 24 ipsaque Dardanii strenua gesta ducis,  
 25 putridus huic fluxit crudo de pectore sanguis  
 26 et lacer immundae servus adhaesit harae ;  
 27 ac miser indigna praeventus morte reliquit  
 28 interrupta suae tot monumenta tubae.  
 29 Lippus, inops, Latio depulsus Horatius orbe,  
 30 dum sequitur partes maxime, Brute, tuas.  
 31 Vendidit esuriens Thebanam Statius urbem,  
 32 ut duram Aonia pelleret arte famem.  
 33 Dum caneres grandi civilia bella cothurno,  
 34 ah, Lucane, fero rapte Nerone cadis.  
 35 Naso Tomitanis exul male vixit in oris,  
 36 Musa nec auctori profuit ulla suo.  
 37 Et nova ne sortis desint exempla sinistrae,  
 38 saeva trahunt parili me quoque fata vice.  
 39 Seu natale solum, seu Gallica regna peragro,  
 40 nulla micat dextro sidere clara dies.  
 41 Ipse ego sum tenebris atro carbone notandis,  
 42 o infelici nate poeta die !  
 43 Vel bona vel primo semper mala dantur ab ortu ;  
 44 felix, a supera cui favor arce venit.  
 45 Praecipitem me saeva rotet Fortuna licebit,  
 46 nostra tamen vati blanda puella suo est.  
 47 Si pluviae surgunt Hyades, si tristis Orion,  
 48 si nix frigenti nata vapore fluit,  
 49 si peto ventosi saxosas verticis Alpes,  
 50 mitigat haec duram monstrat et una viam.  
 51 Haec facit ut durem per mille pericula rerum :  
 52 est aliquid dominae posse placere suae.  
 53 Haec quoque si radios mutet pia stella benignos,  
 54 ad laqueum veniam, Cressa puella, tuum.

## LIBER QUARTUS

A4\_1 v.1 Mensis erat dictus veteri sextilis ab anno  
 2 nobile ab Augusto qui duce nomen habet,  
 3 quo gravis ardet adhuc flagranti Sirius aestu  
 4 et Leo Phoebeos sentit adustus equos  
 5 quo sitit omnis ager, quo putrida stagna moventur,  
 6 plurima quo vapido vina sapore fluunt,  
 7 quo mare sollicitum ferventibus aestuat undis  
 8 membraque letiferis febribus apta jacent,  
 9 quo Canis ipsa furit rabie stimulata feroci,  
 10 perfurit ut fetu tigris abacta suo.  
 11 Non isto poterat Phoebeas tempore sortes  
 12 anxia cum Lycio Delos habere choro ;  
 13 nullaque sanabant aegrum medicamina corpus,  
 14 vanaque languentis vota rogantis erant ;  
 15 stabat et exhausti sterilis Permessidos unda :  
 16 nulla gravem poterant ora levare sitim.  
 17 Tristia clamabant tundentes pectora Musae  
 18 quaerebantque suum per juga nota ducem.  
 19 Illum Cirrhaeo maestum videre sub antro  
 20 et procul ejectae dissona fila lyrae ;  
 21 spretus et inculta crinis cervice jacebat  
 22 binaque subflexis palma supina genis.  
 23 Protinus ut tanti quaesita est causa doloris,  
 24 edidit accenso talia verba sono :  
 25 "Hiccine de vili sortitus turpia corvo  
 26 nomina Pegaseas dillaniabit opes ?  
 27 Num licet infesto sceleratum absumere telo,  
 28 quo ferus Haemonia concidit anguis humo,  
 29 quo fixi horrendos Siculis Cyclopas in agris,  
 30 cum meus indigno fulmine natus obit ?  
 31 Quis ferat ut nostro dejectum vertice monstrum  
 32 Faustinae rabido detrahat ore chely,  
 33 quam rigidae quercus montanaque saxa sequuntur,  
 34 qua lea, qua tigris, qua fera cuncta salit,  
 35 qua foret Eurydice superas revocata per auras  
 36 motaque bis Stygii pectora dura Jovis ?  
 37 Proh tamen hic petulans, superis invisus et imis,  
 38 tentat inauditam frangere posse lyram.  
 39 Sacrilego meritas sumam si sanguine poenas,  
 40 decolor aeterno laus erit ista deo.  
 41 Ne tamen haec totum contagio polluat orbem,  
 42 sentiet offensi quid valet ira dei."  
 43 Dixerat. Attonitas gravior subit ira sorores,  
 44 accensum inflammat fervida turba deum :  
 45 ardentem incendunt sic addita ligna caminum,  
 46 materia rapidae conveniente faci.  
 47 Sed dignam stolido poenam nebulone rogarunt,

48 ne sola tam vili caede cruenta forent.  
 49 Ipse autem tacito volvit sub pectore Phoebus,  
 50 verteret an coepti pristina dicta sui.  
 51 Et tandem invita versa est sententia mente  
 52 (jurarat Stygii numina nulla lacus)  
 53 atque truces stimulos rabidamque injecit Erinnim,  
 54 ut profugus toto stultus in orbe foret.  
 55 Fixit et ignavo raucam sub gutture vocem ;  
 56 ut nullo crocitans tempore gratus eat.  
 57 Cumque pererrasset multas velut Inachis oras,  
 58 Parisia nudus constitit exul humo.  
 59 Quilibet est subito querulum miseratus egenum  
 60 et mendicata membra fovebat ope.  
 61 Post ubi vecordis nota est dementia bruti,  
 62 affuit astanti fabula risa choro ;  
 63 et fera mordaci cum toxica funderet ore,  
 64 haec prostrata meo bellua Marte ruit.  
 65 Hinc adsum interpres Gallis gratissimus oris  
 66 et populo vates praetereunte color.  
 67 Ut liquidum mixtas oleum supereminet undas,  
 68 sic premit adversos strenua Musa canes  
 69 interea, felix nostrae tutela Camenae,  
 70 porrigis ingenua munera larga manu,  
 71 qualia Tuscus eques Latio donabat Homero,  
 72 conderet ut pulsa Troica gesta fame.  
 73 Restituit demptas concessa pecunia vires :  
 74 non bene, cum vacua est, ulla crumena sonat.  
 75 Tunc hilaris caeco Paeon surrexit ab antro  
 76 et sumptum arguto pectine movit ebur,  
 77 movit ut anguipedum post horrida bella Gigantum,  
 78 victori recinens carmina grata Jovi.  
 79 Inficiata dedit turbae responsa petenti  
 80 et medicae vetitam praestitit artis opem.  
 81 Auxit et arenti sublatum fronte liquorem,  
 82 ut solito cupidus more poeta bibat.  
 83 Ipsaque Pieridas veluti foret ultra procaces,  
 84 gavisata est donis sacra caterva tuis.  
 85 Nam benefacta movent superas mortalia mentes,  
 86 nullaque Lethaeas gratia tangit aquas.  
 87 Vive igitur longos Cumaevi pulveris annos,  
 88 quo tantum virtus sospite sospes erit.

A4\_2 v.1 I procul, o mollis nuda cum matre Cupido,  
 2 i procul ! Est aliis meta petenda rotis.  
 3 Non bene lasciva mixta est cum Thaide Pallas,  
 4 casta sed est puro Cynthia digna toro.  
 5 Ipse ego concessi referam pia vincula lecti  
 6 sanctaque legitima foedera juncta manu.  
 7 Haec Pater instituit rerum moderator et orbis,  
 8 ut duo sub solo pectora corde forent.  
 9 Hinc niveam gestant nubentia tempora vittam,  
 10 tempora vix ipsa dissoluenda nece.  
 11 Hinc teritur digitus fulvo circumdatus auro  
 12 femineamque premit lucida gemma manum.



13 Hinc vaga damnantur Phariae connubia gentis  
 14 ipsaque non certi taeda pudenda Scythae.  
 15 Subdita communi jaceat si femina voto,  
 16 uxor erit brutis aequiperanda feris.  
 17 Quin etiam moecha est vinclo solvenda jugali  
 18 ac suspecta suo facta puella viro.  
 19 Scilicet et nullo maculanda est crimine conjunx,  
 20 dia velut magni Caesaris ora canunt.  
 21 Hinc sua praecipiti pulsa est Pompeia furore,  
 22 dum violat sacram turpis adulter humum.  
 23 Qui tegit incestae damnandas conjugis artes,  
 24 hic reus admissi criminis auctor erit.  
 25 Publica primaevo pateant licet omnia ritu,  
 26 non datur in varios sponsa fovenda sinus.  
 27 Ipsa quidem certo est soboles generanda parente,  
 28 auctus ut ex vero germine sanguis eat.  
 29 Odimus illicito conceptos semine natos :  
 30 non manet in toto vilis orbe genus.  
 31 Hinc non ulla suae gestant insignia gentis  
 32 nullaque defuncti jura parentis habent.  
 33 Hinc velat Romana suam non purpura frontem,  
 34 nec quisquam est sacro dignus honore frui.  
 35 Non est aetherei vitianda potentia regis,  
 36 ipsa nec incesta sacra pianda manu.  
 37 Unde maritali jungit sua colla capistro,  
 38 Livia carminibus nobilitata meis.  
 39 Jamque patent multo ferventia limina gressu  
 40 tectaque regali splendida more nitent,  
 41 qualia Thessalico fulserunt atria luxu,  
 42 cum Thetis Aeacidae venit habenda duci ;  
 43 qualia Dardaniae post diruta Pergama Trojae,  
 44 Aeneas Tyria viderat hospes humo.  
 45 Spargite fecundo jam mixta legumina flore ;  
 46 huc ades et dextro sidere pulcher Hymen !  
 47 Commoda jam promas salienti carmina turbae  
 48 ipsaque Cirrhaeo verba reperta deo.  
 49 En video rutila fulgentem lampade taedam,  
 50 quam tulit albenti spina recisa jugo.  
 51 En video puris haustam de fontibus undam  
 52 ductaque jam pueris sponsa duobus adest,  
 53 quam tegit impositum capiti velamen honesto,  
 54 cui demissa notat fluxus in ora rubor ;  
 55 quam praetextato cingit stola mixta tumultu,  
 56 et saliens unctas, ecce, puella fores.  
 57 Virgo Dianeas inter celeberrima nymphas,  
 58 unica Felsinei gloria virgo soli,  
 59 ne fera sis nimium cupido nec dura marito,  
 60 jura maritalis sunt ineunda tori.  
 61 Fac tenera primos decerpat ab arbore fructus ;  
 62 jam quatient flores semina plena suos.  
 63 Appetitur prono gravidos dum pondere ramos  
 64 flectit et est multis arbor opaca comis.  
 65 At postquam horribili spoliata est frondibus Euro,  
 66 spernitur in viduo sola relictata loco.  
 67 Florida sic tenerae dum grata est virginis aetas,  
 68 est ea diversis saepe petita procis.

69 Ast ubi rugoso cani stant vertice crines,  
 70 frigida deserto secubat illa toro.  
 71 Cur geminata tuum rumpunt suspiria pectus ?  
 72 Cur tremis ut viso cerva novella lupo ?  
 73 Anguigeras non nexa comas furialis Erichtho  
 74 dat mala praelata signa futura face,  
 75 prima nec offensos remorantur limina saltus,  
 76 limina successus testificata bonos,  
 77 maesta nec auditur funesto culmine bubo,  
 78 ipsa nec infausta noctua voce gemit,  
 79 ista nec iratus damnabit moenia Titan,  
 80 versa nec obscuris nubibus ora teget.  
 81 Tu clarum sortita virum cui sanguine ab alto  
 82 inclyta magnanimum duxit origo genus.  
 83 Non erit infido fugiens ceu pectore Theseus,  
 84 qui miseram externa Gnosida liquit humo ;  
 85 non profugam fallax qui Colchida lusit Iason,  
 86 altera dum capto est nupta recepta toro.  
 87 Firma sed unanimem religabit utrumque catena  
 88 parque pari vobis crescet amore fides.  
 89 Crescat et innumeros duret, precor, illa per annos  
 90 semper et in titulos surgat eatque bonos.  
 91 Et paries tali dignissima pignora taeda,  
 92 inclyta quae gemini fama parentis eant.  
 93 Mutua quae forti vincit connubia nodo,  
 94 omina fulgenti certa dat axe dea.  
 95 Quaelibet hac habilem sortita est lege maritum,  
 96 debita quo gravidi praemia ventris eant,  
 97 non ut lassa foret totas exhausta medullas,  
 98 publica ceu medio fornice scorta solent.  
 99 Luxuriat molli pinguis ceu gramine tellus,  
 100 sic sua materno pignora ventre decent.  
 101 In thalamos experta rudem duc, pronuba, nympham :  
 102 annuit instanti mota puella viro.  
 103 Solvite jam lassas, noctu properante, choreas :  
 104 dulcia sunt aliis strata terenda jocis.  
 105 Tensior et conjunx nervoque potentior omni  
 106 officium cunctis invidiosus agas.

A4\_3 v.1 Si qua profanatas spectant pia numina terras,  
 2 si flenda est ulli mors inopina deo,  
 3 ad fera lugubres concurrite fata Camenae,  
 4 vestraque discisso tundite membra sinu.  
 5 Tu quoque succinctus pullato Liber amictu,  
 6 huc ades effusis maesta per ora comis.  
 7 Huc ades et turpi foedatos pulvere crines  
 8 et madidas laceres, tristis Apollo, genas.  
 9 Dejice funesto viridantes vertice lauros  
 10 et testudineae plectra canora lyrae.  
 11 Cinge cupressigena squallentia tempora fronde,  
 12 marceat inque tuis taxea silva comis.  
 13 Occidit, ecce, sacer vestro nutritus in antro  
 14 Bessarion ; pestis, crimen iniqua tuum !  
 15 Vix quartum infelix lustrum compleverat aetas,

16 cum sunt ex nigra stamina caesa colo.  
 17 Non passa est plenos Lachesis producere fusos,  
 18 ne fieret tanto terra superba bono.  
 19 Quam bene Peligno referebat tincta lepore  
 20 carmina, quam rhythmos, magne Petrarca, tuos !  
 21 Non scelus hoc poterant crudelia vertere fata ?  
 22 Non bene decerpta est vix adaperta rosa.  
 23 Si sua venissent geniali tempora vitae,  
 24 alter ab Ocnaeo vate futurus erat.  
 25 Heu jacet hic omnem dignus superare senectam,  
 26 turba Sibyllinos vivit iniqua dies.  
 27 O male Bessarion prima fraudate juvena,  
 28 o dolor, o saeculi publica damna tui !  
 29 Frigida seu forsan, nimio seu torrida sole,  
 30 seu possessa tuas, zona, videbo plagas,  
 31 assiduos questus et flebile carmen habebis  
 32 et fundam lacrimas in tua busta pias,  
 33 quas dedit in caedem Marathonia virgo paternam,  
 34 quas tulit Iliaca jactus ab arce puer.  
 35 O fierem exstincto versus pro Castore Pollux :  
 36 Jam foret alterna morte redempta salus.  
 37 Tu mea vocali resonabas carmina plectro,  
 38 ad numeros populo prosiliente novos.  
 39 Tu semper sperata quies, tu mite levamen,  
 40 tu lacerae fueras anchora firma rati.  
 41 Denique cuncta tui dulcissima gaudia Fausti  
 42 funereo tecum marmore clausa jacent.  
 43 Sis licet inflexo veluti flos sectus aratro,  
 44 non immatura laus tua morte cadit.  
 45 Dum sol volvetur raptio contrarius orbi,  
 46 dicetur nomen tempus in omne tuum.  
 47 Et tua felices inter bene mixta poetas  
 48 sentiet Elysiis umbra beata plagis.  
 49 Qui niveam aeternum famam propagat in aevum,  
 50 serior annoso Nestore functus erit.

A4\_4 v.1 Salve, festa dies, tantae qua conditor Urbis  
 2 tradidit imperio maxima scepra suo.  
 3 Mollis ut extensa vitis propagine crescit,  
 4 sic Roma immensum protulit alta caput.  
 5 Haec Arabas molles ustosque coercuit Indos  
 6 teque sagittifera, Parthe superbe, fuga.  
 7 Serviit huic nulla deprensus origine Nilus  
 8 turbidus et rapta factus Oaxis aqua.  
 9 Serviit huic toto divisa Britannia mundo,  
 10 huic data sunt omni parta tributa loco.  
 11 Sic volitans superas magni Jovis ales in auras  
 12 infestas rigidis unguibus arcet aves.  
 13 Omnibus astat phoenix velut unica saeculis,  
 14 semper ab hostili tuta futura manu.  
 15 Sic jubet arcani series longissima fati,  
 16 Romulus ut densa grandine raptus ait.  
 17 Tantum aliae cedent urbes populique feroces,  
 18 quantum populeis parva myrica comis.

19 Jure igitur properans sollemnes coetus ad aras  
 20 annua vimineo culmine sacra facit.  
 21 Jure micant veteri celebrata Palilia ritu  
 22 justaque fundator festa Quirinus habet.  
 23 Salve iterum, salve niveo lux digna lapillo,  
 24 quam nitidis vexit Lucifer almus equis.  
 25 Nulla meos umquam capient oblivia sensus :  
 26 dulcia tam gratae nomina lucis erunt.  
 27 Tu facis ut primus patrias deductor ad oras  
 28 omnia Pegaseo numina monte traham.  
 29 Tu mea circumdas victrici tempora lauro,  
 30 multus et ex omni gente poeta canor.  
 31 Quam juvat ambiguae vitata libido juventae  
 32 cujus ad immensum est area lata malum !  
 33 Quam prosunt Samii superata cacumina rami,  
 34 difficilis dextro qua via colle riget !  
 35 Scilicet ipsius radix virtutis amara,  
 36 dulcior Hyblaea fructus abundat ape.  
 37 Invida latrantis rumpantur pectora vulgi,  
 38 ardua quod nostrum surgat in astra decus.  
 39 Jamque adeat posita reliquas formidine gentes,  
 40 cum mea Romano surgat avena choro.  
 41 Nam bene praecipuo discussa poemata coetu  
 42 in tacito gestant pondera clausa sinu.  
 43 Salve igitur nostri lux invidiosa decoris  
 44 et semper vultu splendidior veni.

A4\_5 v.1 Illa suo quondam fidissima Livia Fausto  
 2 verba salutifera scribit habenda manu.  
 3 Scribit et in celeres haec fertur epistola ventos ;  
 4 non movet ingratos sprete querela deos.  
 5 Haec tamen accedunt nostri solatia casus,  
 6 quod fraudem objicio, perfide Fauste, tuam.  
 7 Exprobrata juvat deceptae injuria amantis :  
 8 fit levior bilem quae vomit ira suam.  
 9 Quamvis nulla ream monuisset epistola mentem,  
 10 debueras sceleris conscius esse tui.  
 11 Clausus - an ignoras ? - intra tua pectora judex,  
 12 quam grave sit fracta crimen onusque fide ?  
 13 Sed quoniam amissa est niveae reverentia frontis,  
 14 non venit in mentem laesa puella tuam.  
 15 Scilicet ista fuit veterum natura virorum  
 16 fallere femineum, credula corda, genus.  
 17 Pegasis Oenone silvis errabat in altis,  
 18 Dardana clivoso qua tumet Ida jugo.  
 19 Hanc Paris ut vidit subitum resolutus in ignem,  
 20 arsit ut in mediis arida ligna focis.  
 21 Tandem nympha tulit servo devicta precanti  
 22 nubere, quae magno flumine nata fuit.  
 23 At postquam insano satiata furore voluptas  
 24 languit, infido est illa relicta viro.  
 25 An tantum struxisse nefas ? An, perfide, solam  
 26 me potes in viduo deseruisse toro ?  
 27 Non soliti lusus, non oscula dulcia flectunt,

28 non meus ammissa virginitate pudor ?  
 29 Non violata fides uni promissa puellae,  
 30 nec perjurati terque quaterque dei ?  
 31 Si tua rivalis successor regna teneret,  
 32 quae foret ex merito poena, ferenda foret.  
 33 Si fuerat tam certa tuae sententia menti,  
 34 ulla nec in patriam vela daturus eras,  
 35 cur me discedens flentem simulator adisti ?  
 36 Cur vidi lacrimas ore bibente tuas ?  
 37 Cur solatus eras verbisque affatus amicis  
 38 te fore supremum tempus adusque meum ?  
 39 Hiccine pactus amor rapidos cito versus in Euros ?  
 40 Sic ego nescio qua pellice laesa queror ?  
 41 An tibi Galla fuit Latiae praelata puellae ?  
 42 An venit externo gratior igne furor ?  
 43 Ah quam mutati latum est discrimen amoris :  
 44 non decet Ausonios barbara moecha toros !  
 45 Non similis mos est, non consona lingua, nec umquam  
 46 Gallica Romanum nomen amavit humus.  
 47 Illaque non mundo gens est spurcissima victu  
 48 et toto hircinus corpore foetor inest.  
 49 Non caput unctosum, nec caetera membra lavantur,  
 50 surdaque collectis sordibus auris olet.  
 51 Semper et atriti scabra rubigine dentes  
 52 turpis et insecto nauseat ungue manus,  
 53 undantique fluens naso pituita levatur.  
 54 Sordida quae fulta corpora veste tegit,  
 55 non amat aggesti nisi pondera flava metalli  
 56 et brevis a primo cessat amore furor.  
 57 Tu tamen has inter faeces olidasque mephites  
 58 negligis Hesperii corpora culta soli.  
 59 Nunc credam Armeniis sociatos tigribus agnos,  
 60 cum nulla ingenuo nausea facta tibi est.  
 61 Solvere venturo pro te pia vota parabam,  
 62 grataque natali ponere thura foco ;  
 63 atque tuos reditus conceptaque verba fovebam :  
 64 Heu tutum est tacita proditione nihil !  
 65 Haec tandem duplici claudatur epistola versu,  
 66 ut sit perfidiae cognita causa tuae :  
 67 credula fallaci decepta est Livia Fausto ;  
 68 cauta sit exemplo quaeque puella meo.

A4\_6 v.1 Nunc mihi plena tuo delata est littera questu,  
 2 tradita nec surdis auribus illa fuit.  
 3 Missa vel a saevo cernenda est hoste tabella :  
 4 nil nocet inspectis cognita causa notis.  
 5 Dentibus ut cupidis artissima vincula solvi,  
 6 tunc patuit jecoris quanta sit ira tui.  
 7 Turgida succenset vitrea cito femina bile  
 8 atque hebetat mentem praecipitatque suam.  
 9 Nil ratio spectat caeco superata furore  
 10 et versum est ira jusque piumque gravi,  
 11 quae, nisi sit freno validisque coercita vinclis,  
 12 aequales ipsis nos facit esse feris.

13 Si tua sedata venisset epistola mente,  
 14 non agerer fracti foederis ipse reus.  
 15 Multa studet nostros avertere femina sensus,  
 16 femina caelestes digna subire toros.  
 17 Haec quoque formosas tellus producit alumnas,  
 18 ipsaque Parisia constat in urbe Venus.  
 19 Nec tam forma decens, apti quam praestita mores  
 20 invitant fidei solvere jura meae.  
 21 Paene pares victus et habet gens Gallica mores,  
 22 nec multum a Latio dissona verba sono.  
 23 Discitur et quodvis minimo discrimen ab usu :  
 24 promit et humanos pica diserta sonos.  
 25 Ipsi etiam Ausonios Galli coluere Penates :  
 26 omnia natus foedera jungit amor.  
 27 At si Romanos implerunt stragibus agros,  
 28 haec fuit illatae debita causa necis.  
 29 Nam gravis est aequo pellenda injuria Marte  
 30 ipsaque sanguinea vita tuenda manu ;  
 31 adde quod innata est potiundi gloria scaeptri,  
 32 pro quo magnanimus justa vir arma movet.  
 33 Nulla duos umquam coeperunt regna tyrannos :  
 34 solius imperii tanta cupido premit.  
 35 Hoc disjuncta suis fraterna cadavera flammis,  
 36 indicat hoc caesi flebilis umbra Remi.  
 37 Gallus et auriferi nimium cumulator acervi  
 38 et levis in carta scribitur ille tua.  
 39 Quam bene partarum concessa est auctio rerum,  
 40 qua nulla est aliis laesio facta viris.  
 41 Non manet ille tenax parti nec prodigus aeris :  
 42 nam media est certis meta tenenda modis.  
 43 Nec levis est, coeptum vertit quicumque sinistrum,  
 44 turpibus a votis mens revocanda venit.  
 45 Sint licet ista tuis penitus contraria verbis  
 46 aptaque lascivo Gallica terra joco,  
 47 sum tamen ipse tuo constans in amore, nec ulla  
 48 subduxit lectum Galla puella tuum.  
 49 Atque ego praedurum superans adamanta resisto,  
 50 nec nostrum instanti pectus amore labat.  
 51 Non fuit astuti constantia major Ulixis,  
 52 cum fugit Siculi monstra canora freti.  
 53 Ni sua vinxisset sublimi corpora malo,  
 54 maxima Sirenis praeda canentis erat.  
 55 Fraudantem non laudo Parim nec Jasona quemquam ;  
 56 ipse docet sanctam Regulus esse fidem.  
 57 Haec tacito nullas celat sub pectore fraudes,  
 58 haec est justitiae fida ministra pia.  
 59 Unde manu colitur niveo velamine tecta,  
 60 jussit ut antiqui provida cura Numae.  
 61 Praecipitis convulsa ruet tunc machina mundi,  
 62 cum tuus a nostro corde recedet amor.  
 63 Haud patriis natus tabulis inscribitur haeres ;  
 64 qui dedit ingratis dona recepta Notis.  
 65 Grandior acceptis reddenda est gratia rebus,  
 66 cultus ut immensae fertilitatis ager.  
 67 At reditus transacta mei si tempora damnas,  
 68 non est tam longae causa gravanda morae.

69 Haurio Socraticis sanctas de fontibus undas,  
 70 et sint arcano fixa quot astra polo.  
 71 Haec etenim reddit cumulatum summa poetam ;  
 72 difficiles aditus Musa perennis habet.  
 73 Post modo flexus erit patrias mihi remus ad oras,  
 74 ne videare meo, Livia, capta dolo.  
 75 Cerneret exspectans redeuntem Phyllis amantem,  
 76 impatiens justae ni foret illa morae.  
 77 Quare, age, coepta sacram peragas tua vota per aram  
 78 et solito niveus tramite candor eat.  
 79 Non nisi finis erat stabili laudandus amore :  
 80 semper ab eventu est vita probanda suo.

A4\_7 v.1 Si foret irrisor stulti Democritus orbis,  
 2 rideret vulgi pectora vana rudis.  
 3 Funderet oppositus largos Heraclitus imbres,  
 4 si foret immundi nausea visa gregis.  
 5 Scilicet hoc multa laesum rubigine saeculum  
 6 adjacet ut putri porca voluta fimo.  
 7 Et male directa est lippo rubrica popello,  
 8 extera quae rubro facta colore notat.  
 9 En quia nos tacito soli versamur in antro,  
 10 garrula nescio quis murmura censor hiat,  
 11 et Faustum urbanis alienum moribus inquit,  
 12 prandia sorbentis quod fugit uncta gulae.  
 13 O caput Anticyrae nullo medicabile suco,  
 14 o male Parrhasium voce rudente pecus !  
 15 Nos non aethereas viventes carpimus auras,  
 16 praeparet ut lautas ebria mensa dapes,  
 17 ut comedam cena consumptor Apicius una  
 18 et mingam patrias luxuriosus opes,  
 19 ac mea torpenti marcescant corpora somno :  
 20 ista decet brutas sordida vita feras,  
 21 conveniens quae nomen habent, quas prona libido  
 22 ducit ad arbitrium, ventre jubente, suum.  
 23 Hinc tacitam nasus sannam suspendit aduncus  
 24 caecaque pulvereus terga cucullus adit.  
 25 Fercula sed propriam non excedentia messem  
 26 Ipse verecundo sobrius ore peto,  
 27 ne multo submersa cibo natura laboret  
 28 et moles animum degravet ista meum,  
 29 ne me nocturnos pallentem volvere libros  
 30 corpora frigenti rheumate plena vetent,  
 31 ut vireat macra surgens in imagine laurus,  
 32 quam servent Musis templa dicata novem,  
 33 utque Palatino referam nova carmina Phoebos  
 34 atque patrona meum virgo perennet opus.  
 35 Nec nisi secreto formatum incude poema  
 36 negligit excussum celsa per astra sagum.  
 37 Nam faber occulta melius fuligine tinctus  
 38 ferrea limanti tela labore polit.  
 39 Aptior est sensus strepitu semotus ab omni,  
 40 majus et ingenium conficit alta quies.  
 41 Quo circa gelidum Tibur Baiasque salubres

42           tendebat priscae turba diserta togae.  
 43       Si matutinas ad grandia tecta salutes  
 44           sollicito ferret nostra Thalia pede,  
 45       illa sui multas domini compassa lituras  
 46           non foret in toto, Livia, nota foro,  
 47       Te duce quae tuta est, docto ceu recta magistro  
 48           cum volat ingenti grandine quassa ratis.  
 49       Attamen alterna mens est laxanda quiete :  
 50           frangitur assiduis ictibus alta silex.  
 51       Quid melius quam docta sacri commercia coetus  
 52           et pariter varias explicuisse vices ?  
 53       Cernit ut adverso motum conamine fratrem,  
 54           cum peragit cursus menstrua Luna suos,  
 55       Terreus ut secto dimensor pulvere signat,  
 56           sanctaque Socratici dogmata moris eant,  
 57       ut sunt Caesareo trajectae ponte cohortes  
 58           impetus et celsa Gallicus Alpe ruit,  
 59       ictus ut occubuit Phariis Pompeius in undis  
 60           structaque sunt caeso moenia prima Remo,  
 61       vatibus ut furor est caelo demissus ab alto  
 62           promptaque facundi rhetoris ora sonant,  
 63       sic vigiles curae, sic pectora fessa levantur,  
 64           sic bene mens resipit viribus hausta suis.  
 65       Hi pingues epulas, hi limina magna frequentent ;  
 66           contentum solita me juvat ire via.  
 67       Diversis diversa placent ; sua cuique libido est,  
 68           sed melior recti est norma sequenda modi.

A4\_8       v.1       Sic sacer ille tuo cecidit de pectore vates ?  
               2       Litore sic sterili torpet aratus amor ?  
               3       Ah cito pacta fides puerili ardore labascit :  
               4       arida nam gravius pondus arista gerit.  
               5       Vidi ego saepe tui madidos deflentis ocellos,  
               6       inque meo stabas mollis ut agna sinu.  
               7       "En ego", dicebas, "solo contenta poeta,  
               8       corpora do votis obsequiosa tuis.  
               9       Faustina si mille manu per frustra secarer,  
 10           haec est pro domino vita parata meo."  
 11       Et centena dabas cum dulcibus oscula verbis  
 12           estque anima in labris paene relictis meis.  
 13       Tunc ego, tunc cecidi partes labefactus in omnes :  
 14           sensibus ammissis muta loquela fuit.  
 15       Sustentata levas subjectis colla lacertis,  
 16           tergit et humentes saedula lingua genas.  
 17       Quae fera non tigris posito mollita furore  
 18           isset in amplexus semisepulta tuos ?  
 19       Nunc ubi verba jacent tam blandis fusa querelis,  
 20           cum repeto, sensu deficiente cado.  
 21       Ah fueram infelix fallacem expertus amorem :  
 22           en iterum evasa vinctus ab arte trahor !  
 23       Captus ut extrahitur vitato piscis ab hamo  
 24           liquitur et molli tosta medulla face,  
 25       usta superfuso ceu saxa resolvit aceto  
 26           Poenus in Ausoniam ductor iturus hamum.



27 Quid faciam ? Sic fata jubent : parere necesse est.  
 28 Dulcis amor semper tristis amaror erit.  
 29 Omnia qui summi cupiat tormenta doloris,  
 30 corda Cupidinea sentiat icta manu.  
 31 Ecce magistra meis docet experientia rebus :  
 32 Heu quanto est Siculo saevior ista bove !  
 33 Fausta triumphantis qui signa sequatur amoris,  
 34 ad poenas flectat lumen utrumque meas,  
 35 quae rigidos miti lapides pietate moverent  
 36 atque ipsa in lacrimas aspera saxa graves ;  
 37 sumat et afflicti miseranda exempla poetae,  
 38 omnia quod supero nata sub axe ruunt.

A4\_9 v.1 Heu morior nec spes nostrae datur ulla salutis,  
 2 cum neget optatam quae dare debet opem.  
 3 Ultima si tantos finirent fata dolores,  
 4 grata foret vitae meta suprema meae.  
 5 Sed quia majores auferent funera flammis,  
 6 displicet in paribus morsque salusque modis.  
 7 Si tamen ardenti minimam de corde favillam  
 8 excutiam, fosso pectore, vita vale.

A4\_10 v.1 [LACUNE]  
 2 cui modo cernenti solus ocellus eram.  
 3 Quam bene faustus amor primordia laeta gerebat ;  
 4 at nunc eventu deteriore ruit.  
 5 Stultus erit levibus credet quicumque puellis :  
 6 instabilis varium femina nomen habet.  
 7 Non ita, flante Noto, frondes agitantur inanes,  
 8 futilis ut mulier mobile pectus habet.  
 9 Nunc amissus honor, virtus nunc sprete recumbit :  
 10 maxima corrumpit quaeque rebellis Amor.  
 11 Nonne soporifera resolutos nocte maritos  
 12 praebuit infandae Bellis iniqua neci ?  
 13 Non stat Holophernes muliebri caesus ab ense  
 14 et Samson vires perdidit ipse suas ?  
 15 Scilicet invicto nullus vel major Achille  
 16 caeca potest taciti tela cavere doli.  
 17 Femina, si nescis, solos petit improba nummos,  
 18 femina per cunctum surgit avara nefas.  
 19 Femina perdiderat sponsum scelerata latentem :  
 20 unica bacatum causa monile fuit.  
 21 Femina Tarpeam tacitis dedit hostibus arcem,  
 22 ut foret armillis cultior illa datis.  
 23 Femina dum blandis stringit tua colla lacertis,  
 24 tunc oculis tendit retia cauta tuis.  
 25 Dum superest munus, dominae tradendus avarae,  
 26 dulcior Hyblaeo melle receptus eris.  
 27 Forsitan ipse tuum nequeas si pauper amorem  
 28 pascere, dilecto limine pulsus abis.  
 29 Hercule si dextro census reparabis ademptos,  
 30 postibus expassis janua tota patet.

31 Quis nisi mentis inops revocantem currat ad hamum ?  
 32 Expertos casses provida vitat avis.  
 33 Heu, fuge blanditias molles quas subdola Siren  
 34 dulcibus illecebris in tua damna movet !  
 35 Heu, fuge Dulichio vinctus tua corpora malo,  
 36 obruta ne vasto gurgite praeda nates.  
 37 Quisquis amator erit vafraeque amplexor amicae,  
 38 portubus in mediis naufraga membra dabit.

A4\_11 v.1 Fortiter armanda est nunc dura in proelia pistrix :  
 2 nam fera sanguineae caedis ad arma vocor.  
 3 En me litorea venientem Livor arena  
 4 exspectat, rutilas vibrat et ille faces.  
 5 Pallentesque genas atque ossea corpora nosco,  
 6 et quo tam saeva milite bella paret.  
 7 Hunc mala circumdant rabiosae murmura linguae  
 8 et gravis externi cura dolorque boni.  
 9 Suggestit infelix atrum discordia virus ;  
 10 addita sunt visi gaudia plena mali,  
 11 et torto vittata caput serpente Megaera  
 12 sibilat infernam tota per ossa facem,  
 13 qua ruit ille furens veluti lymphata sacerdos,  
 14 absumensque suum qua petit alta jecur.  
 15 Magnanimi validis comites incumbite remis :  
 16 jam via jam ferro est arripienda meo.  
 17 Dii, quanto insurgit Livor modo fervidus ictu !  
 18 Dii, quantis ardens viribus ille valet !  
 19 Ipse ego vix primis nitens congressibus obsto :  
 20 viribus Herculeis fortior hostis adest.  
 21 Te rogo, crudeli praeses Tritonia bello,  
 22 ut cadat ante meos ista Chimera pedes.  
 23 Aut si dura negant speratum fata triumphum,  
 24 corpora praesenti nostra tuere nece.  
 25 Atridesque tuo defensus numine tela  
 26 evasit Phthii sanguinolenta ducis.  
 27 Innumerisque tuas donis cumulabimus aras,  
 28 esse reus voti cogar et ipse mei.  
 29 Sentio quippe meo crescentes corpore vires :  
 30 haec sunt auxilii praescia signa dati.  
 31 Tandem Livor edax magnisque infeste poetis  
 32 succumbes telo, Marte favente, meo,  
 33 nec quemquam indignum mordaci dente lacesces :  
 34 en te prostratum litora tota vident.  
 35 Palladiae meritos arae solvamus honores  
 36 et cadat aequoreis hostia pacta deis.  
 37 At tu, Musarum spes invidiosa mearum,  
 38 accipe vocalem, Jane diserte, lyram,  
 39 cui Thebana chelys, doctus cui cedit Arion :  
 40 tam varium culta manat ab arte melos.  
 41 Accipe, Jane, libens ; quid enim mea vota moraris ?  
 42 Nostra venit fidibus palma sonanda tuis.  
 43 Magnus et a solo pictus gaudebat Apelle  
 44 non nisi praecipuos mens petit alta viros.

A4\_12 v.1 Improba jam valeas nostri lascivia lusus,  
2 jam valeas elegis Musa proterva meis.  
3 Odi ego praeteritum cantati crimen amoris :  
4 nunc Paphia nostras figo sub aede faces.  
5 Principio Cypris torvum est imitata leonem ;  
6 ultima pungentis cauda draconis inest.  
7 Nam levibus crassam nugis transisse juventam  
8 adveniens stimulat conscia corda pudor.  
9 Propterea vanae pertusis Belides urnis  
10 dicuntur Stygios evacuare lacus.  
11 Non secus est ales visco laqueata tenaci,  
12 quam jacet illecebris capta juvena malis.  
13 Ast ea consiliis aliena sagacibus aetas,  
14 nauta velut, caecis nescit an erret aquis,  
15 et sequitur quodcumque vago sub pectore fixum est  
16 in tenerisque puer cordibus haeret Amor.  
17 Sim licet et tardus vitae provisor honestae,  
18 non solet esse pii gratia lenta Dei.  
19 Desinit esse nocens, sceleris quem paenitet acti :  
20 iratum flectunt corda supina Deum.  
21 Quae fuerat meretrix parvo mercabilis aere,  
22 illius est humili culpa remissa prece.  
23 Ne qua iterum mergar caenoso in gurgite causa,  
24 subsequar Herculeae signa pudica viae.  
25 Non etenim stipes medio sublatus ab igni,  
26 addita ni fuerit flamma, perire potest.  
27 Turpius ad sordes scelus est rediisse priores  
28 quam pravum insoliti crimen inire mali.